





Pr. 38. Num. 9 = 6

1646, 1

DEO ter OPT. terque MAX.

Nobilitatis fonte perenni, ac Patre luminum,
adspirante,

NOBILISSIMA ac SAPIENTISSIMA
Facultate Philosophicâ, Illustris Academia Basileensis,
permittente,

DE

NOBILITATE

Exercitii ergo disputaturus

PETRUS RZECZYCKI,
NOBILIS POLONUS;

SUB PRÆSIDIO

Viri Reverendi & Clarissimi,

DN. M. SAMUELIS GRYNÆI,
Ecclesiæ Basileensis ad D. Leonh.
Pastoris vigilantissimi;

Ad amicam disquisitionem, in Almâ Medicorum Aulâ

d. 14 & 17 Mensis Aprilis,

Instituendam,

omnes veræ Nobilitatis æstimatores humanis-
simè invitat.



BASILEÆ, Typis GEORGI DEKERI Acad. Typogr.
Anno MDCLXLVI.

D. CHRYSOST. in Matth.

Quid prodest ei, quem sordidant mores,
generatio clara? Aut quid nocet illi
generatio vilis, quem mores
adornant?

SENECA Epistol. XLIV.

*Non facit Nobilem atrium plenum fumo-
sis imaginibus: Nemo in nostram gloriam
vixit; nec quod ante nos fuit, nostrum est.
Animus facit Nobilem; cui ex quacunq;
conditione supra fortunam
licet surgere.*



V I R O Magnifico ac Generoso,

D O M I N O

G E O R G I O R Z E C Z Y C K I,

*Gubernatori Urzedoviensi, Parenti meo
æternùm colendo & venerando.*



*U o d Tullius suo Marco,
Athenas ad Cratippum profecto,
subindè instillabat, ne inanis
rediret, dedecorans & Ur-
bis auctoritatem & Magistri:*

*Id ipsum mihi peregrinaturò, & Academi-
as exterarum lustraturò, Pater optime,
inculcâsti; darem operam, ne domum
redirem inanis. Non immemor igitur,
hujus aliorumque tuorum monitorum,
simul ac Basileam veni, ita singulas
diei horas complecti cœpi, ut mihi
temporis aliqua ratio constaret, & tibi,
ut opinor, expensarum constatura sit. Eâ
fini misi ad te, diversis vicibus,
exercitia aliquot declamatoria: nunc
Theses hasce mit-*

A 2

to, velut prodromum quendam, mei ad te,
(hoc faxit DEUS!) reditûs. Hos Basileen-
sis Academia fructus tibi inscribo. Quid ni?
hanc arborem sevisisti: hanc rigandam, hanc
aliis putandam, domi, forisque tradidisti.
An injurium, si fructus ex eâ tibi asseris
universos? Imò injurius essem & impius,
nisi has primitias tibi consecrarem, de ar-
gumento verè nobili: ut Nobilitatis a vitæ
stimulis, vestigia tua, (ô utinam passibus
æquis!) premam, atque, ut cum Poëta lo-
quar, fiam

Virtutis veræ custos, rigidusq; satelles.
Suscipe serenâ mente hoc quicquid est exer-
citiî Academici, tuumque Filium amore
tuo illo paterno complecti perge. Dabam
Basilea, d. 23. April. 1646.

Tuus obsequentissimus
Filius

PETRUS RZECZYCKI.



DISPUTATIO

DE

NOBILITATE.

THESIS I.

VT, unde decet, ordiamur, ETYMON
propositi thematis constituimus à Noscen-
do; ut Nobilis, sit, quasi noscibilis, & No-
bilitas, noscibilitas.

*Hanc etymologiam ex pluribus authoribus probat Tiraquell. libr. de
Nobilit. cap. 2.*

II.

HOMONYMIA multiplex est: sumitur enim vel,

Generalissimè de omnibus, quæ vel sunt, vel fiunt; sive
sint naturalia aut artificialia, quatenus præ ceteris nota sunt:
& in hac significatione tribuitur etiam Inanimatis: inde
dicitur *Nobilis locus, Urbs, Emporium, Victoria, Clades, &c.*

Generaliter de rebus Animatis, ac proin etiam de Bestiis;
ut *Nobilis equus, leo &c.*

Specialiùs de Hominibus, etiam sceleratis, ut *Nobilis latro,
nobile scortum, quale Thais, Poppæa, Quintilla &c.*

Specialissimè verò tantum de iis, qui ob res laude dignas,
supra alios eminent, noti, clari, ac celebres sunt. Et in hac
postrema significatione à nobis accipitur.

III.

DEFINITIO alia VOCIS est; alia REI. ILLA CUM Vossio lib. Rhet. 2. pag. m. 301. est *nominis splendor; seu Claritas nominis cum laude conjuncta.* HÆC generaliter ita definiri potest: *NOBILITAS est honor, quo homo ab ordine plebeio legitimè secernitur, & eximitur.*

Varia à variis proponuntur definitiones: Attamen quam posuimus, omnibus cujuscunque loci nobilibus aptari posse existimamus: ad eam autem illustrandam, sequentes apponimus quæstiones.

1. *An sit Nobilitas? Seu, an homo homine, dignitate præstet?*

Hanc cum Naturâ, Scripturâ S. totâque Antiquitate simpliciter affirmamus. Videatur Hipp. à Coll. de Nobilit. axiomat. 1. — 7.

2. *An Nobilitas sit de jure natura? N.*

Rationes negationis inter quam plures, has apponimus. 1. ab origine: Non enim à natura, neque cum natura, Nobilitate homines inter se discreti; sed subsequenter temporibus cum Nimrodo scelere nobili, incunabula sua duxit: inde Imperatorum, Ducum & Comitum nomina à militia nata, quod præirent ducerentque, atque suo comitatu & satellitio Regum ad bella tendentium, communirent latera, vitamque: atque hinc placuit, ut à militia, dando pro patria nomina, Nobiles appellarentur, à qua Ignominia vocabulum derivatum est: quia negato nomine, nomen quasi deleteret, faceretque ignobiles. Princeps Polon. Petricii fol. 26. 2. Quia nobilitas bonis fortunæ potiùs, quàm naturæ annumeratur. 3. Quia eadem extrinsecus advenit, & secundum mores & instituta Civitatis ac gentis variatur. 4. Quia tanquam res adventitia probanda est.

3. *An Nobilitas sit qualitas inherens, an verò relatio?*

Affirm. posterius, sicut ex totâ disputatione patebit.

4. *An*

4. *An prater Nobiles & Plebeios nullus alius
ordo in Republ. sit?*

Quaestio hæc differentiam attingit definitionis. Romani quidem tres ordines habuere; Patricios, Nobiles & Plebeios. Verum illi per Nobiles intellexerunt, strictè & tantum tales, nullâ aliâ dignitate pollentes; scilicet natos ex *Novo homine, qui primus in suâ gente, magistratum curulem adipisceretur, & statuæ sibi erigendæ jus haberet.* Nos generalius Nobilium nomine intelligimus, omnes eos, qui è plebeiorum censu eximuntur, à nobili simpliciter dicto, ad eum usque, qui summum Nobilitatis apicem occupat: quemadmodum plebeiorum nomine indigitamus, omnes qui infra nobiles sunt.

5. *An non præstet omnes in Republ.
esse pares?*

Frustranea esset hæc quaestio, nisi essent, qui eam asserere haud erubescerent. At verò: *Non entis nulla sunt accidentia.* Non sunt homines pares; frustra igitur quaeritur num præstet esse pares. Sed num pares futuri, si non peccassent? num Angeli æquales? num pares homines futuri in statu gloriæ? non immeritò ambigitur. Est autem: placet tamen divinæ sapientiæ & providentiæ, homines in hac vita impares potiùs, quàm pares esse, ad mutua officia præstanda. Imò, ut tota universitas ex rebus quidem inter se disparibus, pulcherrimâ tamen harmoniâ coalescentibus, consistit; ita humana societas, ex multum dissimilibus ingeniis constans, pulchrè in unum coiret, si quisque, quod sui est officii, præstare fatageret.

IV.

Distribuimus NOBILITATEM, in SÆCULAREM & ECCLESIASTICAM; ILLA est, qua quis in temporalibus & mundanis ultra plebeioseminet. HÆC verò, quâ quis in spiritualibus suprâ alios excellit. Utramque, maximè tamen Sæcularem, (de hac enim ex proposito agere constituimus) subdividimus in Acquisitam, & Nativam seu hæreditariam.

Harum Natura ex sequentibus patebit, Hic verò disceptatur.

I. *Ultra*

1. *Ultra sit præstantior; Sæcularis an Ecclesiastica?*

Nobilitas consideratur VEL ratione causarum efficientium, ex. gr. Virtutum; & sic Ecclesiastica præstantior est Sæculari. *Fides enim, spes, charitas Christiana & similes*, excellentiores sunt Virtutibus politicis. Et sic minimus in Regno Dei, & coram Deo, præstantior est nobilissimo Monarchâ: VEL consideratur ratione Ordinis & Dignitatis, quoad Status, prout inter se distinguuntur. Etenim in Statu Politico, in quo Magistratus Dei Creatoris vices gerit, *omnis anima*, ideoque etiam Episcopi, *potestatibus supereminentibus, subdita est. Roman. cap. 13. v. 1.* In Statu verò Ecclesiastico, in quo caput est Christus, qui sceptro Verbi sui Ecclesiam gubernat, omnes in Ecclesia, etiam summi Monarchæ, Ministerio verbi, ac clavium potestati, ipsi à Christo datæ, subsunt. Utrumq; exemplis manifestum est. Agnoscunt hoc D. D. qui teste Reinkingk lib. 1. Cl. 2. cap. 6. num. 6. &c. *Duæ, inquit, personæ sunt, quibus Mundus regitur; Regalis videlicet & Sacerdotalis: Sicut Reges præsumunt in causis sæculi: ita Sacerdotes in causis Dei: intellige Redemptoris.* Inde non malè idem d. l. num. 8. concludit: *Ecclesiastica potestas est quidem superior dignitate ministerii, non verò potestate Imperii.*

2. *An eadem persona & Sæculari & Ecclesiasticâ nobilitate præcellere queat?*

Et hæc nodosa quæstio distinctionibus explicatur. Si enim considerentur virtutes, siquidem eadem persona virtutibus Politicis & Theologicis eminere possit, eadem quoque persona utriusque nobilitatis particeps esse potest: Et ut Spiritus Sancti excellentia & electorum propria dona summo Magistratui non obstant, quin potiùs exornant; ita genere nobilem ad summas in Ecclesiâ dignitates, evehi posse nihil prohibet. Sed si consideretur Nobilitas, conjuncta cum administratione officii; negamus eandem personam, simul in utroque statu, Ecclesiastica & Politica officia merè & purè talia administrare, id est, simul Principem, & Episcopum agere posse. Sicut ergò Ozias à Domino leprâ percussus est, quod Sacerdotum officia usurpare voluit; sic Sacerdotibus & Prophetis, Regum usurpare

pare officia non licuit. Minus id licitum esse in Novo Testamento patet ex *Matth. cap. 20. vers. 25. 1. Corinth. cap. 4. vers. 1. 2. Timoth. cap. 2. vers. 4. 1. Petr. cap. 5. vers. 2. Apostoli non fuere Principes hujus mundi: Regnum Christi non est de hoc mundo: arma Ecclesie non sunt corporalia, sed spiritualia.*

3. *Ultra prior, Nativa an Acquisita?*

Hæc: nempe Acquisita, ordine, natura & tempore prior est, etiam dignitate: Nemo enim ad posteros propagare potest, quod non habet; neque verò quisquam quicquam habet, quod non vel à natura habeat, vel acquisiverit; at à natura nobilitas non est. Ergò prior Acquisita, quam Nativa.

V.

Acquisitæ vel Acquirendæ Nobilitatis considerabimus, 1. *Causas & Effecta*, 2. *Reliqua argumenta.*

Prima causarum Efficiens est. Hæc verò Deus Opt. Max. est: cujus Proëgumene est liberrima & gratiosa ipsius voluntas.

Eadem causa Nobilitatis, quæ hominis est, Creator ille Mundi, qui pro liberrimâ suâ voluntate, hominem primò ad imaginem & similitudinem suam creavit, ut esset inter omnes adspectabiles creaturas nobilissima; quique post amissam, vel oblitteratam illam imaginem, natalibus suis restituit, quem vult: *Act. cap. 17. vers. 28. 1. Corinth. cap. 4. v. 7. Jacob. cap. 1. v. 17.*

VI.

Considerari potest Deus, vel ut *Causa solitaria*; quando videlicet *Immediatè causas nobilitatis producit & nobilitat.*

Sic nobilitavit Deus, quos immediatè ad *Sæculares*, aut *Ecclesiasticas dignitates* vocavit, ac singularibus & heroicis virtutibus instruxit; quales fuere; inter *Sæculares*; *Patriarchæ*, Abraham, Isaac, Jacob, Moses, Josua; quidam ex *judicibus*: David, Salomon &c. inter *Ecclesiasticos*, Aaron, *Prophetæ & Apostoli.*

B

VII.

Vel ut **Causa PRINCIPALIS**, quæ reliquas causas omnes moderatur. Harum aliæ sunt, **PER SE** causæ; aliæ per **ACCIDENS**. Et illarū iterum aliæ **REMOTÆ**; aliæ **PROPINQUÆ**, aliæ denique **PROXIMÆ**.

VIII.

Inter Remotas numeramus, **Naturam & Curam**. **Natura** fundamentum quasi **Nobilitatis** est.

Ad hanc referimus bona illa, quæ cū substantia, **Dei mune-**re, propagantur; & sunt; tum **Corporis**, *Excellentiss scil. temperamentum*; tum **Animæ**; ut *Ingenium promptum, Judicium acre, Memoria felix & tenax*. Non enim ex quovis ligno fit **Mercurius**; neque cuivis licet adire **Corinthum**. His dictis naturæ bonis destituto, omnis ad nobilitatem præclusus est aditus: mediocribus tantum instructus, majore curâ, studio & labore opus habet; nunquam tamen ad eum nobilitatis gradum conscendet, ad quem, debito accedente cultu, is pervenire potest, qui excellentibus ingenii, judicii & memoriæ donis à Deo per naturam ornatus est. Sapienter **Socrates** apud **Sto-**bæum **Serm. 84.** interroganti, *quid esset Nobilitas?* *Bona*, inquit, *temperies animæ & corporis*. Et **Epicharmus**, seu, ut alii, **Menander** ait: *quisquis sua naturâ proclivis fuerit ad bona, etiam matre natus Æthiope, nobilis est*. **Cicer.** pro **Arch.** *Optimus quisq; maximè laudis studio ducitur*. Et in **Catone** **Majore**: *Perfecti homines & excellentibus ingenii præditi, excitantur spe gloriæ*. **Seneca** quoq; **lib. 3.** de **benef.** *Eadem, inquit, omnibus principia, eadem origo: nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius*. De bonæ indolis initiis, videat, qui vult, **Clariss. Molinæum** in **Serm. Dec. 3.** **Serm. 3.** in **Psal. 16. v. 2, 3.** pag. 70. & sequentibus. Hic occurrunt quæstiones:

1. *Utrum cum bonis corporeis, etiam bona animi à parentibus in liberos propagentur?*

Plerumq; fieri solet, ut motus animorum acriores, & sublimiores naturæ vires, cum vitæ ipsius spiraculo infundantur & implantentur: ita ut quemad-

quemadmodum in stirpibus, sic etiam in hominibus, virtutum succus ex radice diffundatur in surculos. Et ut generosa arbor, in feraci solo confita, & studio ac assiduâ curâ culta, deteriores fructus vix gignit: ita vix accidit, ut, qui nati probis parentibus ingenuarum artium studio ad honestatem excoluntur, non eos fructus edant, qui ortus sui fidem faciant; ut citat Petr. Frize ex Jochan. Arze ab Otalor. in summ. Nobil. Hispan. p. 2. cap. 3. n. 15. Inde Poëta: Fortes creantur, fortibus & bonis, &c. Verùm, quoniam virtus hæreditate non obvenit; & experienciâ teste, sic probante Vossio Rhet. lib. 2. cap. 8. fol. m. 303. nobilium posteri paulatim degenerant, ex ingeniis excellentibus, insani ac furiosi; ex constantibus & gravibus, agrestes & contumaces; interdum inertes & stupidi: ex doctis sæpè parum acuti, dementientes & à communi sensu sequestrati gignuntur: statuimus; Bona animi Ordinariè à parentibus non propagari, sed vel divinitus obvenire, ideoque gratiæ divinæ liberè agenti adscribenda; vel ejusdem benedictione, diligenti ac prudenti educatione & informatione, bona illa, etsi non ita excellentia augeri & expoliri; quippe cum contrà ingenia summè industria, si negligantur, hebetentur & stupida reddantur.

2. An astris dona illa adscribi possint?

Astris non nihil; at non nimium tribuimus. Etenim non nullam astra in res corporeas habere virtutem, quotidiana docet experientia. In animum verò tribuimus, aut nullam, aut tantùm auxiliarem, quatenus scilicet mores animi, sequuntur temperamentum. Spiritus Patri spirituum subicimus, cujus virtute, accedentibus aliis ordinariis & extraordinariis mediis, naturam alioqui distortam immutari, multorù exemplo palàm est.

I X.

Naturam CURA excipit: sine hac enim illa languescit. Est autem CURA vel EXTERNA aliorum: vel INTERNA & PROPRIA ejus, qui ad Nobilitatem contendit. EXTERNA est, vel PROGENITORUM; vel INFORMATORUM; sed controvertitur:

1. *Ultra præferenda, Progenitoris an Informatoris?*

Progenitorum Curam citra dubium præferremus, si quidem ad benè informandum apti & idonei forent, id est, si patres & informatores essent: etsi vel sic, quâ informator, majora bona liberis conferret, quàm quâ pater. Quia verò non omnibus parentibus id datum est; aut si maximè datum esset, ipsis tamen haud licet, quando libet, nec quando licet prodest: vel quòd liberi, paternâ reverentiâ nimis percellantur, ideoque minus liberè rogare, aut ad interrogata respondere ausing; vel quòd parentes indulgentiores æquo sint; vel denique, quòd uni huic rei vacare non possint, in quam informator totus incumbit, ideò hunc illi præferimus. An ergo nulla parentum cura? Imò est, & quidem summè necessaria, scilicet Exempli, Consilii & Authoritatis: Illo, prælucebit virtutis lumine; isto, providebit de informatore & legitima informatione; hoc, & informando & informatore præsidebit. Magni momenti Cura hæc est; attamen major est informatoris, si & doctus & ad docendū aptus sit. Ad illud requiritur, ut ipse imbutus sit iis, quibus sibi commissus imbuendus est; ad hoc, ut & prudenter, & summâ fide agat: quæ duo, non tantùm necessaria, sed & abundè sufficientia esse asserimus. Agnovit hoc Philippus Rex, pater Alex. M. scriptâ ad Aristotelem epistolâ; *Non tam se suscepto filio letari, quàm quòd Aristotelis natus ætate, ab eo posset ita erudiri, ut dignus Macedonico Regno evaderet*; majore spe in ejus institutione positâ, quam vel in Regno, vel in cæteris, qui tum viverent, Philosophis. Sed & Alexander agnovit, majorem se gratiam debere Aristoteli præceptori, quàm Patri; *quod ab hoc quidem habeat, quòd sit: ab illo verò, quòd sibi bene sit.*

2. *Cum omnis institutio duobus absolvatur, nempe præceptis & exemplis quaeritur: Præstent Præcepta, an Exempla?*

Plus movere exempla quàm præcepta, apud omnes manifestum est; habent enim in utramque partem maximam vim; ac in

ac in primis hoc animis hominum imprimunt; non esse supra vires humanas, quæ præcipiuntur.

3. *Utrum plus moveant exempla domestica,
an peregrina?*

Stimulat & excitat nobilitas, in magnis animis, generosam æmulationem; non solum eorum, à quibus habent nobilitatem partam, æquandi, sed etiam superandi, & in genere quidem, quò sunt conspectiora exempla, eò magis per oculos & aures in animum illabuntur, & quò celsior est Spiritus, eò alacrius excitatur. In primis autem domestica virtutis & gloriæ exempla, generosæ indoli calcaria addunt, ut rectè Poëta ille scripserit:

*Est aliquid, clarus magnorum splendor avorum,
Illud posteritas emula calcar habet.*

Alexander M. per Philippi patris sui virtutem: Scipio Minor per Scipionis Majoris gloriam: Octavius Augustus, per Julii Cæsaris laudem, ad tam præclaras res peragendas inflammati sunt. Et Decius, paterno excitatus exemplo, devovit se pro patriâ. Inde Andromachè apud Maronem lib. 3. Æneid.

*Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles,
Et Pater Æneas, & avunculus excitat Hector?*

Attamen peregrina exempla, quò sunt splendidiora, eò nobiliorem animum magis urunt. Fertur Alexander M. apud Achillis tumulum lacrymas fuisse, quod putaret, se ipsius præclara facta imitari non posse. Similiter Julius Cæsar, conspectâ Alexandri Magni imagine, profusis lacrymis deplorabat, quod in tanta senectute, tam juvenem Heroem non gloriâ superasset. Themistocles dicere solebat: Miltiadis Trophæis somnum sibi adimi. Sexcenta sunt similia alia exempla, quæ generosæ indoli inculcanda sunt.

4. *Laxior an strictior disciplina sint adhibenda?*

Sine disciplina omnis Schola, Oeconomia, Ecclesia & Respub. intereat necesse est: omnia corporis & animi bona corrumpuntur ac destruuntur: imò omnis humana solvitur societas.

Summè igitur omnibus hominibus, maximè excellentibus naturis necessaria est. Verùm, ut in omnire, quæ inter extremitates posita est, mediocritas laudem habet, attestante Greg. libr. 20. Moral. *Miscenda est lenitas cum severitate, & faciendum ex utraque quoddam temperamentum, ut nec multa asperitate extoerentur animi, nec nimia benignitate solvantur.* Ac etsi indulgentia interdum apud quosdam fructuosa sit: severiorem tamen quàm indulgentiorem requirimus disciplinam. *Hebetatur, ait, Princ. Polon. Petricii fol. 50. virtus nullâ re magis, quàm indulgentiâ: quippe ex veniâ facilis est transitus ad licentiam, molliterq; de vitiis sentire, propè jam est & iis infici.* Prudentissimè Alexander Severus Imperator: *Disciplina majorum Rempubl. tenet, quæ si dilatatur, & nomen Romanum & Imperium amissimus.* Quare verò? *Quia, ut Valerius Max. ait, ex disciplina sinu, omnes triumphus manant.* Econtrariò ex laxæ disciplinæ sinu, omnes manant miseriæ. Hanc tamen addimus cautelam, ut adhibeatur severitas absque crudelitate: vituperatio absque maledictio: ne sit disciplina carnificina, neq; Doctores fiant tortores, & ex præcepto-ribus Orbilii plagosi.

X.

Sed & PROPRIA CURA accedat, necesse est; ejus nempe, qui viam veræ Nobilitatis ingreditur. Ea consistit: IN GENERE, in OBSEQVIO, quod Nobilitatis alumnus debet tum Progenitoribus, tum Informatori maximè.

Disciplina absq; obedientia frustranea est; Adolescens sine obedientia, adolescens sine disciplina est. Cyprian. de abus. Hæc prima ad virtutem virtus, mater virtutum, & primus ad gloriam gradus est. *Prima sapientia est obedire bene monenti, unde scitè Bernhard. in Serm. de Epiphania: si vis esse sapiens, esto obediens. Qui non didicit obedire, nescit imperare.*

XI.

IN SPECIE verò consistit in *Discendorum attentâ auscultatione, promptâ apprehensione, solidâ dijudicatione, repetitione assiduâ, & fre-*

& frequenti exercitatione; ut & probè ea percipiat,
& præcepta in memoriæ thesaurum recondat, ac si
opus sit, eadem depromere queat.

Agendorum assiduo & indefesso exercitio.

Excultendus est animus adolescentis; & in eo Principes fa-
cultates, quib. homo à bestiis secernitur, Intellectus & Volun-
tas culturâ perficienda & expolienda: Ille quidem doctrinâ:
hæc verò virtute, utriq; verò memoria famulatur. Atq; hæc,
quæ diximus maximè necessaria, non solum ut requisita, ido-
nei discipuli; sed & ut media ad doctrinam & virtutem capes-
sendam, requiruntur.

XII.

Haftenus Remotiores causas vidimus: PROPI-
QUIORES sunt, quæ ex illis fluunt; nempe
Solida rerum necessariorum, utilium & arduarum co-
gnitio.

Virtutum præclarissimarum habitus, &
Res ex illa juxta has, præclarè gestæ.

Hic verò nobiles se se offerunt enodandæ quæstiones:

Generales: 1. *Utrum Scientia sine Virtute
nobilitet?*

An igitur Scientia sine Virtute esse potest? annon didicisse
fideliter artes, emollit mores, nec sinit esse feros? ita quidem
est, si semen hoc in terram bonam abjiciatur. At verò expe-
rientia testatur, nimis magnam segetem esse illorum, quibus
multum est scientiæ, Conscientiæ parùm: nuda verbi divini
scientia non beat: Sunt intellectu illuminati, qui sanguinem
CHRISTI conculcant. Reperiuntur Theologi, qui CHRIS-
TUM in ore gerunt, Diabolum in corde: Jurisconsulti, qui
Sacerdotes justitiæ appellantur, at patroni sunt injustitiæ: in-
veniuntur Medici, quos carnifices potius dicas: & quot sunt,
quos sapientia infatuat? ut reliquam studiosorum turbam, qui
specioso hoc nomine, indigni sunt, transeam; nemo sanus
hos, nisi *scelere Nobiles* dicat. Præterea sapientiæ studio dedi-
ti sunt, qui cæcus hominum relinquunt, otium sectantur, ta-
lentum suum defodiunt, nemini noxii, sed nemini utiles: etsi
horum



horum opera non contemnenda, quia tamen instar thesauri absconditi sunt, & operas suas in publicum usum non conferunt, omninò inhabiles ad Nobilitatem judicamus. Ejusmodi igitur scientiam, ad Nobilitatem comparandam aptam esse existimamus, quæ non tantùm sit solida & explorata, sed etiam cujus usus generi humano salutaris est, quam à virtute morali sejunctam esse, persuaderi vix possumus; aut si id forè contingat, Nobili vino scientiam talem comparamus, quod impuro & fætido continetur dolio.

2. *An Virtus sine Scientia, Nobilitatem parare queat?*

Prægnans est, aliarum quoque quæ involvuntur quæstionum, quæ tamen terminorum explicatione solvuntur. *Primò* igitur intelligimus per virtutem, non quamvis, sed talem & tantam, quæ Nobilitate digna æstimatur: *Secundò*, Scientiæ nomine generaliter sumpto indigitamus cognitionem, non omnium scibilium; quæ nulli homini inest: sed rerum necessariarum & utilium; neque etiam omni numero perfectam, sed convenientem & sufficientem. His positis, quæritur. 1. *An talis deceat Nobilem?* Causam quæstioni præbent perversa quædam judicia. *Licinius Imperator, literas virus & pestem appellavit*; quæ bovis potius, quàm Imperatoris vox dici meretur: sunt, qui nihil magis decori nobilium obesse putant, quàm literas: Ignobilitatem judicii hos prodere judicamus; è contrâ, omnem Virtutem ac proin Nobilitatem, doctrinâ reddi tantò conspectiorem, quantò scientia est solidior & perfectior, liberè asserimus. Unde ridicula quæstio 2. *An mediocris doctrina in Nobilibus, equipolleat majori doctrina in ignobilibus?* Nunquam enim minor doctrina majori æquipollere potest: nempè si consideretur in abstracto: de concreto infra videbitur. Sed si quæritur 3. *An virtus prout hic sumitur, absq; scientia esse possit?* Respondemus per inficiationem, ob sequentes rationes, 1. *Justus Lipsius Polit. libr. 1. cap. 2. n. 1. Vita civilis Rectores, sive fulcra constituit, Virtutem & Prudentiam: illius verò duos ramos: Cujus alter pietas est, quæ requirit rectum de Deo sensum & rectum in Deum cultum. Hujus duas ponit species: Privata*
tam

ram seu Domesticam, & Publicam seu Civilem d.l. cap. 7. Jam verò,
neque illa, scilicet virtus, neque hæc, Prudentia, sine scientia,
magna, minus nobilitate digna, esse potest: Quis enim rectus
de Deo sensus esse queat, sine sacrarum literarum cognitione?
quis proin cultus? *Utriq;* enim rei, ut idem Lipsius d. l. cap. 2.
n. 3. *vera lux à sacris litteris*; quas ideò omnes, cœlestis noster
Doctor, scrutari jubet; Jochan. cap. 5. v. 39. sed de hoc post plu-
ribus. Verùm quid Prudentia? *Is non tuus solùm,* (verba Lipsii
d. l. cap. 7. n. 1.) *sed si inspicias, Virtutis ipsius Rector, certè Director. Sine*
Prudentia enim quæ potest esse virtus? addo, & sine doctrina, quan-
ta quæso potest esse Prudentia? *videatur Lipsius d. l. cap. ult. toto,*
quo lectorem remittimus. 2. Non aliis major necessitas incum-
bit, ut plura & meliora noscant, quàm quorum sapientia mul-
tis prodesse debet mortalibus, quales sunt Nobiles, qui assi-
dent Principibus, quorum auxilio subditi reguntur, & Res-
pub. administrantur. Hinc ignorantia rerum, maximè legum,
admodum dedecet Nobiles: Rectè enim Q. Mutius: *Turpe est*
Patricio & viro nobili jus ignorare.

Speciales sequuntur quæstiones, & quidem de Doctrina.

1. *Quarum rerum doctrinâ nobilitas ac-*
quiritur?

a. *An rerum Sacrarum, seu S. Theologiae?*

Ex dictis constat, scientiâ virtutem perfici, ac conspectiorem
reddi; quia ergò inter omnia scibilia, nihil verbo Dei magis
necessarium, nihil salutarius: eò quod *absq;* eo nulla fides, *absque*
fide nulla salus. Rom. cap. 10. v. 13. 17. *contrà Evangelium sit potentia*
Dei ad salutem cuius credenti, Rom. cap. 1. v. 16. ideò manifestum
est: Nullius rei scientiam magis nobilitare, quàm verbi divi-
ni. Pernitiosa igitur admodum est illorum opinio, qui existi-
mant, Sacrarum rerum cognitionem, tantùm verbi Dei mini-
stros & ejus Professores decere; politicos verò nonnisi politi-
ca. Pernitiosior verò illorum sententia, qui à Sacræ Scripturæ
lectione & scrutatione, non tantùm plebejos, sed maximè
Principes & in eminentiâ constitutos, arcendos judicant;
nempè ne lumine Sacræ Scripturæ errores & vitia retegantur.

C

Prorsus igitur contrarium, omnes sanæ mentis nobiscum stant: nempe sacrarum literarum habere cognitionem omnibus quidem, maximè verò Nobilibus, ac inter eos in primis Christianis Magistratibus, Regibus, Principibus, &c. non tantum necessarium, sed summè gloriosum esse. Quia 1. ipsis commissa, non solum fluxa & caduca bona externa, aut putrida humana corpora, sed immortales animæ in vera Religione, ad æternam salutem informandæ. Quæ verò id fiat, nisi ipsimet juxtâ normam à supremo Dominorum Domino, præscriptam, veram à falsa Religione discernere queant? Indignum sanè talibus est, si per implicitam fidem, ab opinione aliorum dependeant? quæ enim sciant, utrum & ipsi & totus populus, pro quo, die illo judicii, ipsimet justo Judicij ratio reddenda; seducantur potius, quàm salutariter doceantur? si inter Doctores controversiæ, altercationes, indeq; schismata exorirentur, quomodo verum à falso discernere, quomodo lites componere, schismata tollere, ac pacem & tranquillitatem in Repub. conservare poterunt? nempè gloriosius remediû nullum est, quàm si is, qui à Deo auctoritatem & potestatem accepit, veræ Religionis solidam cognitionem habeat: sicut contra, nihil est periculosius Ecclesiæ, quàm errores & hæreses potestate armatæ. 2. Sola vera & salutaris prudentia politica illa est, quæ supernè descendit, ex verbo Dei hauritur, & cujus principium est timor Dei; quæ hinc non est, quantumcunque speciem habeat, terrena, animalis, & demonica est. Jacob. cap. 3. v. 15. 3. Id ipsum probant plurima exempla summorum Regum, Principum, aliorumque nobilissimorum hominum, qui summo Zelo veram Religionem, quam ex Dei verbo didicerunt, prosequuti sunt, Ecclesias constituerunt, plantarunt, propagarunt ac defenderunt; imò qui pro Christo, sanguinem suum effuderunt, ut ex sacra pagina, historia Ecclesiastica, & martyrologio constat, quorum omnium memoria æternùm benedicta est.

B. An Jurisprudentia?

Jurium scientiam, ex ignobilibus efficere nobiles, imò Nobilissimos, qui negat, eum planè ignobilem, esse Imperatorum

ratorum ac Principum testimoniis palam est: & ex his rationibus constat. 1. Quia leges sunt fundamenta Respub. ergo legum Scientia, quæ Jurisprudencia quoque dicitur, Respub. constituit, gubernat, conservat, & amplificat. 2. Nullus Rex, nullus Princeps, nullus Magistratus cum laude Respub. administrabit, nisi vel ipse sit Legum peritus, vel Consiliarios aut Senatores tales habeat, qui pars corporis Principis dicantur. 3. Hinc quamplurimi summi Imperatores, Reges, &c. huic scientiæ diligentissimè operam navarunt, & liberos suos in ea instituendos curarunt.

γ. *An Medicina?*

Artem hanc esse nobilem, & quò sunt ejus callentiores, tantò majore nobilitate dignos esse asserimus, quia 1. inter singularia Dei dona ab Apostolo numeratur, 1. Cor. cap. 12. v. 9. 2. huic arti operam navarunt, Principes, Reges, Imperatores, etiam Sancti & Angeli, imò DEUS & Dominus noster JESUS CHRISTUS est & dicitur MEDICUS summus corporis & animæ. Exod. cap. 15. v. 26. & passim in Hist. Evang. 3. à Græcis Deorum filii appellati & more gentilium divinis honoribus quidam, ut Apollo & Æsculapius, &c. culti; sed etiam ab omnibus bonis, à summis quoque Imperatoribus & Regibus in honore habiti sunt: juxta id Ecclesiastici cap. 38. v. 1. Denique 4. ut universum genus humanum Medicinæ opus habet; ita Medici summè utiles & necessarii.

δ. *An Philosophia?*

Per hanc intelligimus artium vulgò liberalium, Instrumentariorum & Realium, Theoreticarum & Practicarum cognitionem & usum. Usam addo, ut distinguam veram Philosophiam ab inani speculatione & Sophistica, quæ non modò inutilis, sed & admodum noxia est, ideoque cavenda. Coloss. c. 2. v. 8. Hanc igitur nobilem non dedecere, nemo sanæ mentis inficias ibit. 1. Etiam per hanc vili genere natos nobilissimos factos esse, exempla quamplurima testatum faciunt. 2. Huic operam dedere, Monarchæ, Imperatores, Reges, Prin-

cipes, &c. 3. Ab his in summis honoribus habitos Philosophos, vel Homeri aliorumque exempla docent. 4. Hanc veram animæ medicinam jure appellari. 5. Absque hac non humana societas, nulla Respub. Ecclesia nulla consistere potest: tolle Scholas, simul & illas sustuleris cum Juliano Apost. 6. In primis Philosophiā nobilitarunt quamplurimi Philosophi acutissimi, Poëtæ excellentissimi, Oratores eloquentissimi, Matheseos peritissimi: quibus annumeramus eos artifices, qui non tam manuum quam ingenii subtilitate & judicii acumine excellere; inter quos sunt Pictores, Statuarii, Musicæ instrumentalis, Architecturæ & similibus peritissimi, à summis Imperatoribus & Principibus in maximo honore habiti.

2. *Quanta requiratur ad Nobilitatem acquirendam
cognitio seu doctrina?*

Quantum ad genere Nobiles, requiritur equidem in illis, ut vidimus, doctrina & quidem quæ ipsos decet, quæque dignitati ipsorum conveniens est. Quod autem illos, qui per doctrinam Nobilitatem acquirunt, concernit; non vulgari & pædagogicâ, sed præcellenti rerum præclarissimarum præditi sint scientiâ necesse est, quâ longè lateque nomen suum diffundant, quæque per ora virum volitent & inclarescant: magnum enim novæ stellæ lumen & conspicuum splendorem esse oportet, ut inter tam innumeras dignoscatur & discernatur.

XIII.

Vidimus quæ circâ doctrinam specialiter consideranda fuere; nunc quid in specie de VIRTUTIBUS tenendum sit, dispiciendum.

Distinguendæ illæ tum ratione SUBJECTI, tum OBJECTI.

Subjecti ratione Virtutes quædam sunt COMMUNES Plebejis & Nobilibus, quædam horum, id est, Nobilium PROPRIÆ.

COMMUNES autem dicimus tum PARTIUM, tum GRADUUM respectu:

Partium

Partium respectu Communes dici possunt, illæ quæ quatenus utrisque insunt, specie non differunt. ex. gr. *Temperantia, Sobrietas, Castitas, Liberalitas, Justitia communicativa, &c.*

Graduum respectu Communes sunt, quatenus dictæ Virtutes in Nobili, non majores sunt, quam in ignobili: ut *dum hic aequè temperans, sobrius, liberalis, &c. atq; ille.*

XIV.

PROPRIÆ Nobilium sunt etiam, tum ratione GRADUUM, tum PARTIUM.

Graduum ratione propriæ sunt illæ, quas quidem Nobiles specie communes habent cum Plebejis, sed gradu multum superiores.

Partium ratione, propriæ sunt illæ virtutes, quæ in Plebeios non cadunt, ut sunt: *Magnanimitas, Magnificencia, Prudentia civilis, administranda: Reipublic. bellica, administrandi belli, &c.*

XV.

OBJECTI quoq; ratione Virtutes distinguuntur. In hoc negotio ultrâ ea, quæ in Ethicis habentur, distinguendum censemus.

Nam 1. Subdistinguendi Affectus; alii namque vehementiores: alii mitiores.

2. Voluptas est, vel suaviter & valdè afficiens, vel leviter tantum titillans: & Dolor alius mitis & lenis; alius gravis & acutus.

3. Sed & Notæ perpendendæ secundum quas actiones virtutum aestimantur, quarum quinque recenset Aristoteles Ethic. ad Nicom. lib. 2. c. 4.

1. Si sciens agat. 2. Si certo animi proposito & consilio.

3. Si propter se, id est, propter amorem virtutis. 4. Si firma & constanti voluntate, ita ut neq; deinceps cupiat aliter agere. 5. Si cum quadam animi oblectatione & voluptate agat.

4. Consideranda quoque Varietas rerum, circa

quas actiones virtutum versantur: quarum alia
Privata, alia *Publica*, & hæc iterum vel *Sæculares*,
vel *Ecclesiastica*.

5. Denique etiam circumstantiæ attendendæ. Hæc
omnia singulas virtutes, vel *minuunt* vel *augent*.

XVI.

Ex his recensitis generale iudicium de omnibus
& singulis virtutibus formari licet, unde dignosce-
re possumus, quæ virtutes Nobilitate dignæ sint,
quæ non.

α. Ratione Subjecti, hæc universalis regula tenenda;
Non communes virtutes, sed proprias nobilitatem conciliare: quia per
communes nobilis ab ignobili non differt; non magis quàm
homo per sensus externos à bestiis.

β. Ratione Objecti: Hæc virtus Nobilis iudicanda;
quæ

1. *Sine lucta non tantùm mitiores, sed & vehementiores affectus re-
ctæ rationi succit*: ergò, quæ mitiores tantùm in potestate habet,
cum vehementioribus luctatur, imperfecta virtus est; quæ su-
peratur, in primis si à mitioribus ne quidem virtus est.

2. *Ut contra honestatem agat, nullis humana natura amicissimis ac
suavissimis voluptatibus, neque etiam gravibus & acutis doloribus, se per-
moveri patitur*. Ergò citra contradictionem ignobilis ea est, quæ
non nisi leviter titillantibus voluptatibus, & exiguo dolo-
ri resistere valet. Ab his verò qui superatur prorsus virtute
caret.

3. *Fit ab eo, qui omnes agentis secundum virtutem notas habet*: in
quo verò una aut plures notæ defunt, ejus virtus, si virtus est,
non nobilis est.

4. *Non circa res leves, & privatas tantùm, & quidem in gradu re-
misso, sed circa publicas, ad commune Patriæ, Reipubl. & Ecclesiæ commo-
dum occupata est*: ignobilis igitur, quæ tantùm circa privata
versatur.

*In primis quæ neque propriam gloriam, neque ullum privatum com-
modum sed honestatem tantùm respicit, & CHRISTUM, aut Pa-
triam*

riam vite sue anteponeit : secus si fiat, actio aliàs laudatissima
conspurcatur.

§. Denique ita omnes circumstantias considerat, ut quoad fieri potest
in nulla sciens, volens, prater decorum agat : cum è contra vel locus,
vel tempus, vel modus agendi, si non conveniant, omnem pe-
nè facto laudem adimant.

XVII.

In primis verò virtus, ex varietate rerum, circa
quas actiones virtutis versantur, discriminatur.
Hinc enim virtus alia est PRIVATA, quæ scilicet ver-
satur circa res tantùm privatas; & hæc privatorum
est, ac ignobilium, nisi sit in excellenti gradu, ut Jo-
sephi castitas, &c.

Alia verò PUBLICA, quæ scilicet versatur circa
publicas res nempe SÆCULARES, vel ECCLESIA-
STICAS, seorsim vel conjunctim. Circa has autem
versatur, vel Eas

Legitimè administrando, & hic eminet JUSTITIA,
cujus comites sint, in distributione pœnarum CLEMENTIA,
præmiorum, LIBERALITAS & BENEFICENTIA.

Exornando & amplificando, hic excellit MAGNI-
FICENTIA.

Conservando; adversus hostes, tùm internos, tùm exter-
nos; ubi requiritur FORTITUDO.

XVIII.

His tamen omnibus, præesse debet PRUDENTIA,
quæ dux est & gubernatrix actionum honestarum &
virtutum omnium; Hæc autem est vel TOGATA vel
BELLICA. ILLA iterum vel THEOLOGICA vel
PROFANA: seu Ecclesiastica & Sæcularis.

THEOLOGICA est, quæ pietatem religionemq; veram,
quantum fieri potest, colit, fovet & conservat: hæc enim est
firmisimum Rerumpub. fundamentum. SÆCULARIS &
profana

profana est recta ratio, quâ honestas in Republ. colitur, fove-
tur, & conservatur. **BELLICA** denique est recta ratio susci-
piendi gerendique belli.

XIX.

Atq; hinc concludimus prædictas virtutes omnes,
quæ circa publica versantur, nobilitare; sed non
absque **PRUDENTIA**. Hæc ergo merito omnibus
præfertur, quippe quod cæteras virtutes quasi in-
former & nobilitet.

Sed hic inter Prudentiam Togatam & Bellicam famosa ori-
tur controversia, scilicet,

Utra sint Præstantior?

Controversia hæc fuit inter Græcos & Romanos; illis quod
abundarent sapientibus, his quod præstarent militibus, pri-
matum sibi vindicantibus. Ut igitur ardua hæc controver-
sia legitimè decidatur, hoc primum, ceu indubium præsuppo-
nimus, Prudentiam bellicam fortitudine præstantiorem esse.
Togatam verò Bellicæ præferimus, ob sequentes rationes,
quibus simul contrariæ sententiæ argumentis obviam itur.
1. Quod multò tutius & firmitus præsidium Reipubl. consti-
tuatur in prudentia Togata; quia in defectu hujus, illo præsi-
dio bellico opus est. Scitè Agesilaus: *Nihil fortitudine indige-
mus, si omnes justi simus.* Murus firmissimus est, civium virtus
& concordia, sine quâ, prudentia bellica, quantacunque sit,
Rempubl. non conservabit: hæc autem prudentiâ togatâ pa-
ratur & conservatur. 2. Prudentia Togata, facultates, corpus
& animam, vitam & salutem conservat; & quidem modo no-
biliori & exoptabiliiori; minori que sumptu & periculo, quàm
Bellica. Majori certè laude, belli dux dignus, qui sine fan-
guine & absque ullius militis jaeturâ hostem in potestatem
suam redigit, quàm qui illum cruento bello vincit; ita major
est Prudentia Togata, quæ citra incommoda belli, Rempubl.
tutatur, quæque novit multiplices vias, ne ad extremitatem
belli deveniendum sit. *Dicat belli Dux: Quid si extremitatem
illam evitare nequeat, quod tum superest aliud remedium, quàm pru-
dentia*

dentia bellica : annon hîc palmam auferet ? Nequaquam : nunquam enim, quod per accidens necessarium est, præferatur illi, quod per se tale est : præterea arma prudentibus contra vim interdum necessaria sunt, an propterea arma prudentiâ meliora ? Princeps in adversa valetudine prudente Medico opus habet, in cujus manu corpus & vita principis posita est, quis autem præferat Medicum Principi ? &c. 3. Labor utique belli Ducis magnus; multitudo enim exercitus ex variis populis collecta difficulter regitur, ac in officio continetur, &c. At verò quanta multitudo subditorum, bellua multorum capitum, de quâ rectè Just. Lipsius lib. 3.

Nullum animal morosius, nullum majori arte tractandum : inde Livianum hoc effatum : Excellentibus ingeniis sæpius defuerit ars, qua civem regant, quàm qua hostem superent. 4. Si pericula attendas : semper majus periculum metuendum ab hoste interno & clandestino, quàm ab externo & aperto : majus ab insidiis, quàm à manifestâ vi : unde majore prudentiâ vigilandum, in altâ pace, quàm tempore belli : & qui administrat Rempubl. in periculo versatur, non tantùm corporis, sed etiam animæ. Sed, ut uno verbo concludamus : Nullus Belli dux unquam, Principi suo, cæteris paribus præferendus, neq; proinde prudentiæ togatæ prudentia bellica.

XX.

Inter Causas per se, *Proxima* superest; quæ est voluntas ejus, qui nobilitandi jus habet; & est in genere, qui in suo territorio superiorem non agnoscit. Voluntas autem hujus est vel Libera simpliciter, vel Alligata, sive Legi aut Statuto, vel Consuetudini; quæ ratione diversorum locorum variat.

Hic quæritur:

1. *An solus Imperator Romanus jus hoc habeat?*

Imperatorem Romanum jus nobilitandi habere apud omnes in confesso est; quia in eo omnes dignitatum thesauri reconditi sunt: sed & præter ipsum, hoc jus obtinent,

1. Omnes Reges, qui Imperio Romano non sunt subje-

D

eti; quia in Regno suo quilibet eandem potestatem habet, quam habet Imperator in Imperio.

2. Principes in Imperio: & inter illos

Archiduces Austriae, quibus Speciale privilegium concessum, quo non solum Nobiles, sed etiam Comites, Barones creare, iisque insignia dare, famae restituere, spurios legitimare, &c. possunt. Munst. in Cosmogr. lib. 3.

Electores, Duces, Marchiones, aliique Imperii Principes, quia praeter rationes, jus hoc longa & vetustissima consuetudine, memoriam hominum superante acquisiverunt; & quia nullo Satuto Imperator hoc jus sibi soli reservavit.

3. Creati quoque Comites Palatini, nobiles etiam creare possunt, siquidem concessi privilegii exhibitorias producere queant.

4. Quia Doctores Nobilibus annumerantur, tum qui habet jus conferendi gradum doctoralem, etiam jus nobilitandi habet: maxime, cum quod quis per concessionem Imperatoris facit, vice Imperatoris fungatur, indeque censetur auctoritas Imperatoris, omnesque solennitates intercessisse.

2. *An quò major is, qui nobilitandi jus habet, tantò major quoque sit nobilitas recipientis?*

Affirmamus, si conferentes Nobilitatem in eadem Republ. gradibus dignitatum subordinentur: ex. gr. Si in Imperio ab ipso Imperatore quis nobilitatur, major utique censenda est ejus nobilitas in Imperio, quam ejus qui à Principe Imperii Nobilitatem consequutus est. At verò, an idem ille preferendus sit, Ex. Gr. in Hispania, Gallia, Polonia, &c. à Regibus his nobilitato, non immeritò ambigitur. Verisimilius est domesticam Nobilitatem, nullibi extraneae postponi, neque quoad dignitates, neque quod ad privilegia, nisi id fiat ex speciali pacto. In Polonia, Barones, Comites, vel etiam Principes Germaniae, non majori loco haberentur, quam ceteri Nobiles: ibique namque Nobilitas non nisi virtutibus aut Officiis

ciis distinguitur. Unde Petricius in suo Principe, fol. 28. ait:
*Jura eadem omnes equabant, virtus à ceteris separabat. Hoc quisque
habebatur major, quò melior. Quantò plus consilio & experimentis
cognitus, tantò promptius honores assequebatur, tantò magis in honori-
bus equales anteibat, tantò plus gratiæ, authoritatis, plus notitiæ & no-
minis apud Nobilitatem sibi parabat. & fol. sequenti. Quin maxi-
mis titulis, desiderium nostri & reverentiam fecimus, magnæq; nuper
gloriæ nobis fuit, duos Walachia Ducas, consortium & nobilitatem no-
stram, alterum expetivisse, alterum suscepisse, seque inter cives & No-
biles, incolasq; Regni nostri, posito Ducatu, inseruisse. Hæc quoque
causa, quòd quidam ex Nobilitate Polonica ad Imperatorem
legati, dignitates Ducum, Comitum, &c. ab Imperatore ob-
latas, animo generoso recusarint præter alias causas, quòd ob-
cas, in Polonia non nobiliores sint habendi.*

X X I.

Hucusque vidimus causas per se: *Accidentarias*
nunc videbimus, quibus propter aliud vera Nobili-
tas debetur; nempe propter jam recensitas causas,
sine quibus illæ Nobilitate indignæ sunt. Non im-
meritò igitur disceptatur.

i. De Divitiis. *Utrum hæ nobilitent? & quidem*

- a. *An recenter acquisita? N.*
- β. *An illegitimis mediis parta? N.*
- γ. *Num igitur legitimè acquisita? N.*
- δ. *Sed an antiqua à majoribus relicta?*

Assentior hic Ciceroni & ejus paradoxo primo, *quod honestum
sit, id solum bonum. Id verò bonum & honestum, quod & rectum &
cum virtute est. Separa igitur virtutem, ab inveteratis divitiis,
quid honesti, quid boni remanebit?*

ε. *Reliqua igitur questio est. An divitiæ cum
virtute nobilitent?*

Hæ quidem divitiæ opinionem nobilitatis habent, & ad-
stipulantem Aristotelem, qui lib. Polit. 4. cap. 8. nobilitatem
definit: *Quòd sit vetus opulentia & virtus. Et sunt quàm pluri-*

mi, qui non tantum divitias omnibus aliis rebus antepo-
nunt; sed & divitiis omnia obedire, reginamque omnium, pe-
cuniam dicunt, ideoque divitem, satis nobilem, huncque pro-
pter divitias honorandum existimant; inde divites, ad digni-
tates promovendos, pauperes arcendos judicant, Ovidius
lib. 3. Elegiarum:

Curia pauperibus clausa est, dat census honores:

Inde gravis iudex, inde Severus eques.

& alibi lib. Fastorum:

In pretio pretium nunc est, dat census honores,

Census amicitias, pauper ubiq; jacet.

Sed hæc perversa est, mundi immundi ac perversi opinatio no-
centissima, quæ homines divitiis magis inhiare, quam virtuti
studere jubet, imò virtutem profus proscibit. Ita ergò sta-
tuimus: Opes & divitias se habere, ut arma, quæ si in malo-
rum manus incidunt, tum & ipsa sunt mala, ac malos faciunt
peiores, perniciosissimaque nocentibus moribus fiunt instru-
menta: Si verò in bonorum manus incidant, non quidem
suâ naturâ; sed rectæ rationis usu, ad virtutem ejusque incre-
mentum comparanda, aptissima fieri instrumenta & adjumen-
ta: comparatorum verò splendidissima ornamenta. Ex his
igitur manifestum esse putamus: Divitias, nec esse nobilita-
tem, nec ejus causam per se; sed per accidens, scilicet propter
rectum earum usum.

2. De adversis: qualia sunt; Paupertas, Orbitas, Morbi,
Servitus, Pericula, Captivitas, similesque aliæ adversitates: de
his in genere quæstio est:

*a. Utrum hæc ad Nobilitatem consequendam
conducant?*

Respondemus; Non per se: sed per accidens; *Exempla con-
firmant thesin, tam Sacra, quam profana: Moysi, Josephi, Davidis, Da-
nielis & aliorum quàm plurium, quos nimium esset longum recensere.
His subjicimus, hanc questionem:*

*B. Utrum ex adversis, an secundis, virtus magis
emacet? Aff. posterius.*

3. De

3. De Feudis. Circa hæc movetur quaestio:

Utrum Feudum nobilet?

Feudum est vel *Nobile*; vel *ignobile*; Hoc, quod confertur ab iis, qui nullam dignitatem conferre possunt: igitur simpliciter non nobilet. Illud est, quod conceditur ab habente Potestatem & Voluntatem nobilet accipientem; quorum alterum si desit, feudum ignobile dicitur. Feuda namque sine Nobilitate dari possunt, ac nobilitas, sine feudis. Et haut absolum, aliquem habere Comitatum, & Comitem non esse; quia etiam jura regalia, sine titulo regali subsistere queunt: titulus enim per se nihil operatur, sed territorium liberum & immediatum; quod apparet in filiis secundo genitis eorum, in quorum territoriis valet jus primogenituræ. *Persona enim rem nobilet, non res Personam: & Vir dat loco honorem, non Viro locus.* Feudum ergo non nisi per accidens nobilet.

XXII.

Priusquam ad materiam & reliqua argumenta Acquisitæ Nobilitatis accedamus: *Nativa Nobilitatis* causas Efficientes considerabimus.

Has quoque distinguimus in Remotam: Hæc est in genere Majorum Nobilitas. Majorum autem est vel

Primus in familia, qui per enumeratas aliquas, plerasque aut omnes causas nobilitatem sibi & posteris suis acquisivit. atque hinc, *quod præstantiores aut plures causæ concurrunt, in prima & originali Nobilitate, tantò illustrior est Nativa.*

Apud Hebræos, duo Nobilitatis genera erant; alterum ab Aaronis Stirpe, qui soli Sacerdotes erant: alterum verò à Stirpe Regum.

Apud Græcos Nobiles dicebantur, qui à Stirpe Regum & Heroum, puta Heraclidarum, Æacidarum, Cecropidarum & aliorum id genus, originem ducebant: aut qui ob res à majoribus præclare gestas publico decreto Coronam auream &c. consequiebantur. Poëtæ Nobiles ad Deos referunt, unde Jovis filios, imò divinos & divinas appellant. Tir.l. de Nob. c. 2. n. 45.

Apud Romanos Nobiles vocabantur, quorum Majores curules Magistratus, ut sunt Consulatus, Censura, Prætura, Ædilitas, gesserant & novi homines dicebantur. Bod. de Rep. lib. 3. cap. 8. fol. m. 549. &c.

A primo Orti, qui scilicet, Nobilitatem per generationem acceperunt, confervarunt, vel auxerunt, atque ulterius propagarunt: Inde, quò longiore & numerosiore serie majorum continuata est, eò splendidior Nativæ, & amplior quò auctior. Atque hinc qui nobilitatur, dicitur Nobilitatem habere: filius verò & Nobilitatem & genus: nepos autem, Nobilitatem, Genus, & Gentilitatem; unde D. D. dixere: Nobilitatem à Nobilitate incipere, in filiis pubescere; in nepotibus adolescere; & tandem in pronepotibus, maturam ac perfectam ætatem consequi. Ergò, quò vetustas generis longius progressa, eò plus Nobilitas auctoritatis habere creditur: Unde Vir antiquæ Stirpis, pro Nobili; antiquissima familia, pro nobilissima; & antiquitas generis, pro Nobilitate sumitur. Antiquitas tamen cæteris paribus consideretur. Rex enim, vel Regis filius, duas vel tres tantum generationes habens, Nobili, Baroni, Comiti, octo vel plures generationes habenti, præferendus.

XXIII.

Propinqua Nativæ Nobilitatis causa est legitima à Nobilibus parentibus generatio: seu potius Nobilitas, progenitorum proximorum; quia ipsa generatio legitima, medium potius est propagandæ nobilitatis.

XXIV.

Proxima causa est Lex vel Consuetudo, quæ sic natis nobilitatem tribuit.

Non enim ex eo tantum, quòd sit ex genere nobili, quis nobilis est: Genus namque & Nobilitas diversa sunt. Communis est gentilitas plebejorum & patritiorum & genus à genitore, gens à genere dicitur & ducitur: sed quia ob eam originem, Princeps illum suis legibus nobilitat.

XXV. Et

XXV.

Et hæ fuerunt causæ per se : *Causa per accidens est Patria nobilis: Disputatur igitur.*

An Patria nobilis conferat nativam Nobilitatem? Patriam dici Nobilem per metonymiam indubium est; Sed an propterea in ea natus etiam nobilis? Et certè non contemnenda gloria, siquidem is qui de ea gloriatur, se Patriâ dignum præstiterit: secus nõ gloriosum sed probrosum ei foret; quod ex sequentibus apophtegmatibus discere licet. Aristoteles glorianti cuidam, quod è celebri esset civitate, dicebat: *Hoc nihil refert, sed an celebri patriâ dignus esset.* Sic Themistocles Seriphio objicienti, quod nunquam tam celebris extitisset, nisi Atheniensis fuisset, respondit: *neq; tu si Atheniensis esses, clarus extitisses; neque ego, si Seriphus essem, ignobilis.* Similiter Anacharsis objicienti cuidam, quod Scythia esset: *At nihil, ait, mihi quidem probro est patria, sed tu patria.* Ex his liquet, probrosis probrum, honoratis honorem patriæ celebritate cumulari: id tamen imprimis curandum, ut patria per ipsum, non autem ipse per patriam honoretur.

XXVI.

Materia nunc sequitur expedienda. Quæ duplex est, vel In qua, seu Subjectum; vel Circa quam, id est, Objectum.

Subjectum juxta Philosophos aliud Quod; aliud Quo.

Subjectum Quod iterum est vel

Primum, quod exemplar dici potest, imò principium primum & independens omnis Nobilitatis; & est vel

Absolutè tale, scilicet Deus Opt. Max. qui ad sui imitationem nos hortatur, 1. Petr. cap. 1. v. 16. & veræ nobilitatis Regulam nobis expressit Decalogo. Exod. cap. 20.

Juxta Oeconomiam; nempe Dominus noster
JESUS

JESUS CHRISTUS *splendor ille gloria, & character personæ Dei*, Hebr. cap. i. v. 3. omnium, omni modo, & genere Nobilissimus; ideoque perfectissimum veræ Nobilitatis è Deo Patre datum Exemplar, & ab ipso Filio nobis relictum, ut insequeremur vestigia ipsius, 1. Petr. c. 2. v. 21. Johan. c. 8. v. 12. & ut disceremus ab ipso, Matth. cap. 11. v. 29. Phil. cap. 2. v. 5.

XXVII.

Ortum & à primo dependens, vel *Angeli* boni, quorum imitatores ut simus, admonemur petitione tertiæ Orationis Dominicæ. *Homines* in via adhuc existentes, & per virtutem ad veram hujus, & in primis futuræ vitæ Nobilitatem, (Coronam scilicet illam Justitiæ immarcescibilem, gloriam, honorem, & immortalitatem) consequendam, contendentes & anhelantes.

Huc referri possunt Controversiæ, quibus disputatur, qui sint Nobilitatis habiles, quique inhabiles. Esto igitur thesis

XXVIII.

1. *De Nobilitate Acquisita*. Ad hanc admittitur nemo, nisi & capax sit & dignus propriâ virtute; excluditur verò ab eâ, non tantum qui simpliciter incapax est; ut sunt infantes, amentes, furiosi, infames & similes: sed etiam, capaces quidem, attamen non digni; quales sunt, cæteroqui honesti, iis tamen qualitatibus nõ instructi, quæ nobilitari merentur. hinc disceptatur, An excludantur

a. *Vili genere nati*? N.

Ratio 1. Quia animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione, supra fortunam assurgere licet. 2. Quia virtus, quæ sola nobilitat, non est hæreditaria, sed invenitur ab omnibus, qui eam studio & labore quærunt. 3. Quia *pater ille*
luminum

luminum, à quo omne munus bonum & perfectum donum descendit, Jacob. cap. i. v. 17. sine respectu personarum, distribuit cuiq; bona sua sicut vult. i. Cor. cap. 12. v. 11. 4. Quia in omni familia nobili, primum ignobilem fuisse necesse est: quot enim Reges, & nobilissimi quique à servis originem suam habuere? docent hoc innumera, tam Sacra, quàm Profana exempla, quæ si recensenda essent, multæ paginæ implerentur: videatur Tiraq. lib. de Nobilit. cap. 4. Theatrum Theod. Zwing. vol. 3. lib. 9. ubi obscuro loco nati quamplurimi recensentur, qui eruditione & sapientiâ toti orbi innotuere. Ex plurimis ut pauca maximè notabilia adducam; annon Patriarchæ, Judices, pleriq; Reges populi Dei in V.T. an non Apostoli, & quamplurimi ex Antistitibus Ecclesiæ N.T. ex obscuro genere orti? quis autem his in toto Orbe fuit nobilior? quis illustrior? Notabilia sunt Phalaridis, crudelitate quidem nobilis, cæterum docti, verba græca sic reddita: *Gloriari de Nobilitate, ut de alio quovis bono, non indecens est. Ego autem unam nobilitatem, virtutem novi, cætera fortunam. Nam humili genere natus, ut bonus, ita Regum & omnium hominum nobilissimus fieri potest. Contra aliquis parentibus bonis ortus, malus evadere potest, ac tum seipso, tum vilissimis quibusq; ignobilior. Igitur de laudibus animi gloriaris, non de majorum nobilitate, in obscuriori posteritate jam extincta.*

B. *An mulieres?*

Habet quidem hic sequior sexus suas infirmitates; sed & dona sua; & habemus tam Sacra quàm Profana exempla earum fœminarum, quæ non tantum viros è vulgo, sed etiam multos, præclaris alioquin virtutibus claros & nobiles, cum civilibus, tum bellicis virtutibus, longè multumque superarunt. Nota sunt exempla in populo Dei, Matriarcharum, Debora, Jabelis, Esteræ, Ruth, Abigaelis, Tbecuitis, Judithæ, Susanna; imprimis supra omnes benedictæ Mariæ, matris Domini nostri Jesu Christi, &c. ex gentibus; Regina Saba, Artemisia, Cornelia, Sulpitia, aliarumq; quam plurium. Et cui hodie ignotum est exemplum Heroinæ illustriſs. Elisabethæ Reginae Angliæ, quâ vix fuit in Anglia, Rex unquam nobilior. Verè Plato de Repub. lib. 8. *Virtutum omnium est fœmina capax, quarum capax mas ipse. Quod nisi esset, meritò vituperanda illorû foret locorum consuetudo, ubi sce-*

E

ptrū ad fœminas devolvi potest, ut in *Hispania, Scotia, & Anglia.*
Videatur hic Just. Lips. Polit. lib. 2. cap. 3. n. 10.

γ. An Spurii?

De his prolixè Politici in utramque partem disceptant, ut ex Tiraq. lib. de Nobil. cap. 15. Kekerm. Polit. lib. 1. cap. 8. & ex aliis, constat; quorum sententia huc redire videtur: Lege quidem communi, spuriiis ceu infamibus dignitatum portas esse clausas; imò Deut. cap. 23. v. 2. *ex congregatione Jehova in decimam usq; generationem exclusi fuere:* Quia verò nec Deus nec natura prorsus eos averfantur, quin sæpè præcellentibus donis ornentur, ac singularibus virtutibus præditi res pace & bello præclarissimas gerant, à Nobilitate, nequam excludendos esse, docent exempla Nobilissimorum Spuriorum, vide apud citatos authores.

δ. An Mortui?

Notandum hîc: quæstionem non esse de iis, qui Superstites jam Nobilitatem consequuti sunt: quia extra controversiam est, horum nomina, in perpetuâ manere memoria. Psal. 112. v. 6. *Vivit namque post funera virtus.* De iis quæritur, qui in ipsâ demum morte nobilitantur, de his Cic. pro Plancio: *Eos qui pro Republica vitam reddiderunt, non mortem, sed immortalitatem potius affectos esse judicat.* Et quot fuere atque etiamnum sunt, quorum demum, postquam eos amisimus, frustra desideramus; dum quales habuerimus, serò agnoscimus.

ε. An ignorantibus?

Nequaquam: quia ignorantibus benefacere possumus; ergò & honores decernere & conferre. *Ita Sauli & Davidi Regius honos à Deo decretus est, ne quidem cogitantibus.* Etenim hæc & similia ejusmodi sunt, quæ non procedunt ab ipsis, sed in ipsos, & omnis ejus vis dependet ab honorantibus.

An qui Nobilitatem appetit?

Si magnanimitas virtus est in magnis & debitis honoribus expetendis & contemnendis mediocritatem servans:
eccur

eccur nō appetenti nobilitas conferatur, si dignus, si meritis sit?
At verò si indignus, si non absq; Simonia & ambitus crimine,
si prece & pretio petat, excludendus est. *Honestius certè est, delatos
honores acceptare, quàm precibus extorquere; & fama virtutem ultrò
comitatur, quin Crocodili more fugientes sequitur; nempe ad equos vir-
tutis aestimatores. Sed quid si iniquiores sint? an non tum jure debitos
honores expetere potest? utiq; potest; sicut & quidam à Romano po-
pulo triumphos petierant.*

ζ. *An verò invitus?*

Et hīc in utramq; partem sunt D.D. sententiæ: qui tamen
in hanc sententiam concludunt: quòd Princeps, in quo est
libera potestas acceprandi & habendi sibi gratum, potest etiam
invito conferre nobilitatem. Hoc enim solū est, in acce-
ptione ejus, qui nobilitat. Addimus & hoc, si utilitas Reipub.
id requirat, posse etiam invitum cogi à superiore: habemus
exemplum in Abdolonymo, apud Curtium lib. 4. cap. 1.

XXIX.

2. *De Nativa Nobilitate*, extra dubium esse existi-
mamus; quòd sicut omnes legitimè à Nobilibus nati
ex lege & consuetudine nobilitatis sint capaces, ita
in utero matris existentem non excludi. Sequentia
tamen manent controversa: scil. an excludantur.

α. *Spurii?*

Utique excludantur; quia sunt infames 1. lege divinā,
Deuter. cap. 23. v. 2. 2. Si non jure civili, attamen moribus &
opinionem hominum; inde non parvum convitium, si quis
spurius dicatur. 3. Ordinariè à dignitatibus excluduntur, ut
à S. Ministerio, à gradibus doctoralibus, & similibus. 4. Ex
domo patris & hæreditate ejiciuntur. Non immeritò: Neq;
enim illicita tantū Venus per se in vitio ponitur, sed etiam
contagio suo inficit, quod ex inquinato fluit fonte. Interest
autem Reipub. & matrimonium sanctè coli, & vagas libidines
coereri. Sed quid de magnarum domuum spuriiis sentien-

dum? fatemur consuetudinem obtinuisse, quæ à Nobilitate eos non excludit: patrumque insignia, in quibusdam locis, etsi cum barrâ à sinistrâ ad dextram transversa largitur: & est de illis major præsumtio, quòd & liberalius educentur, & honestius instituantur. Verùm enim verò quo jure? quove fundamento? ane ipsis licet, quod libet? an peccatum non est, aut non tantum, quod à talibus perpetratur? imò verò tantò majus, tantò Reipublicæ pestilentius, quantò magis exemplo nocent, qui aliis bono exemplo prælucere deberent. An quia hæc nemo vindicat in terris, propterea nullus erit vindex in cœlis?

β. An legitimati per subsequens matrimonium?

Legitimatur per consequens matrimonium conceptus & natus ex concubinâ, quando pater concubinam illam post uxorem ducit. Circa hanc controversiam D.D. in diversas abeunt sententias. Æquior nobis videtur ea sententia, quæ legitimatos à nobilitate non excludit. 1. Quia juxta D.D. communem sententiam, legitimatio per subsequens matrimonium tantam vim habet, quantam expressa Principis voluntas. Si igitur Princeps illegitimos citra conjugium subsequens, potest non tantum legitimos, sed & nobiles facere: utiq; & matrimonium, id majori jure efficere potest. Tiraq. de Jure primog. quæst. 34. n. 54. 2. Legitimatio restituit in integrum: non autem restitueretur, nisi etiam nobilitaretur. 3. Si matrimonium eluit matris turpitudinem, quantò magis filii, cui crimen matris imputatur. 4. A' fortiori etiam concludit hæc ratio: si per subsequens matrimonium, mater ex ignobili per maritum nobilis fit, quantò magis filius: quia major est vis radiorum luminis ad angulos rectos, quàm ad obliquos. 5. Neque expresso statuto legitimatis nobilitas aufertur.

γ. An legitimati per diplomata Principis?

Non rejicimus, si expressa adsit Voluntas nobilitandi: præsertim si Princeps justas habeat causas, vel ex magna præsumptione,

sumptione, vel ex rebus præclarè gestis: de quo in præcedentibus jam egimus.

D. An rationis usu destituti? N.

Potius commiseratione digni sunt. Sunt certè nobilium filii, ideoque lege & consuetudine nobiles.

X X X.

Circa Subjectum *Quo*, quod est corpus & anima hominis, controvertitur:

1. An nobilitas homini competat, quoad

Corpus? Aff.

Sive enim consideres Nativam Nobilitatem, corpus quoque nobile dicitur, eò quòd à parentibus per Traducem propagetur; inde sæpè, cum sanguine, nobile temperamentum traducitur; unde formæ, proportionis, staturæ, roboris similitudo, quibus liberi, imaginem progenitorum repræsentant. Hinc legimus, insignia quædam nobilitatis, unà cum vitâ à natura quibusdam data, ut fuit Seleuci anchora, femori ejus, dum in lucem ederetur impressa, quam filii nepotesque ejus itidem in femore, veluti notam generis naturalem habuère, quod exemplum & alia refert Tiraquell. libr. de Nobil. cap. 6. num. 20. Si verò consideres Acquisitam Nobilitatem, pluri mi propter robur corporis nobilitati sunt: & hucreferri possunt exempla pugilum, luctatorum, & similium, quibus præmia, honores, statuæ positæ, de quibus qui volet, inspiciat Theat. Zuinger. sub his titulis: huc enim brevitatis causâ lectorem remittimus.

2. Utra sit præstantior, an ea quæ est mentis, an ea quæ est voluntatis?

Ut anima præstat corpore, ita Nobilitas animæ excellentior est, quàm corporis; imò solus animus verè nobilitat, quod controversiâ carere existimamus. Sed de facultatum animæ prærogativa dimicatur. Nos ad quæstionem breviter respondemus: Mentis nobilitatem ideò præferendam; quòd habitus ejus sint præstantiores, scilicet virtutum moralium, quæ

Voluntati tribuuntur, Rectrices & Directrices; Sapientiam & Prudentiam innuimus. Sed porro dubitatur,

3. *An Sapientia sit preferenda Prudentia?*

Nos affirmativam defendere conabimur; uno hoc in præsens posito fundamento; quòd objectum sapientiæ sit præstantius.

XXXI.

Materiam circa quam, seu objectum Nobilitatis quod attinet, est illa

In genere id, circa quod homo cum laude versatur: seu quod nobiles & generosos decet.

In specie verò est vel

Principale, Homo ipse & in primis Anima hominis; ut enim hæc est illa divinæ particula auræ, quâ à bestiis differt: ita omni curâ, studio & labore, in id incumbet Nobilitatis Candidatus, ut eam ita excolat, quò à plebejorum anima multum distet. Ideoque antè omnia, omni loco & tempore, in omnibus agendis & omittendis animæ suæ inculcabit; ut observet seipsam, id est, quid DEO, quid sibi, quid Proximo debeat. DEO scilicet Pietatem, & quidem totis suis viribus: Proximo Probitatem, eandem nempe, quam sibi exhiberi optat. Sibi verò debet Anima Nosse seipsam, hoc est, tum facultates ejus, tum quid illis debeat: Menti seu Intellectui, Sapientiam & Prudentiam: Voluntati, Virtutem: Conscientiæ, Puritatem. Et hæc sunt Regiæ ejus qualitates, quæ illam nobilitant; scilicet, Recta ratio, & rectus ejus Usus, quibus homo seipsum regere debet.

XXXII.

Subordinata sunt vel

Interna, nempe Inferiores animæ facultates, seu Affectus, quos Nosse & Regere debet. *α* Nosse, inquam, &
ita:

ita : Nullum esse infensorem hominis hostem , quàm quem in sinu suo fovet , id est , Affectus , qui contra Rationem identidem rebellant . β Regere verò , ut eos rectæ rationi subiciat . Quando verò semper inter hostes unus aliquis , præ cæteris molestus est ; ita hunc nosse , hunc antè omnia subigere & compescere qui potest , cæteros faciliùs vincet . Verè dici potest , primum ad nobilitatem gradum esse , *Affectus oppugnare* , secundum , *expugnare* ; ultimum & supremum , *eisdem ad quævis recta & honesta expedienda obsequentes , gubernare* . Sapienter igitur Muretus Orat. 7. de Moral. Phil. laudibus , ait : *Satis magnum esse Regem , qui se ipsum regere : satis potentem Imperatorem , qui cupiditatibus suis imperare possit : qui verò eis planè domitis ac subactis , jugum rationis , quod illæ ne conentur quidem unquam excutere , imposuerit , ab eo omnes aliorum victorias , triumphosq; esse superatos . Fortior est , qui se , quàm qui fortissima vincit , ita Nobilior est , qui se , quàm qui nobilissima vincit .*

XXXIII.

Externa verò , circa quæ Nobilem occupari decet ; sunt Objecta ,

Sapientiæ ; res scilicet Necessariæ ; quò pertinent scripta & præcepta sapientum .

Prudentiæ : res contingentes , seu agenda , huc referuntur , Practica Philosophia , Ethica , Oeconomica , Politica ; & quæ his annumerantur : Item Historiæ .

Utriusque : Studium Eloquentiæ , Pacis & Belli tempore summè necessarium & utile .

Virtutum : scilicet omnia illa , quæ voluptatem & dolorem afferre possunt : quæ ad quatuor hæc referre licet : Gloriam , Divitias , Voluptates , atque Vitam ;

& his opposita : Ignominiam , Paupertatem , Molestiam , ac Mortem : de quibus sapientissimè , Diogenes rogatus , *Qui essent omnium nobilissimi ? respondit : Contemptores divitiarum , gloria , voluptatum , vitæ : item contrariorum victores ; paupertatis , ignominia , laboris , mortis .*

Con-

XXXIV. Forma

XXXIV.

Forma Nobilitatis est Exemptio ab Ordine & censu plebejorum.

Est autem hæc duplex; vel

Moralis, & respectu alterius fundamentalis. Non, dum arroganter & cum aliorum contemptu, seipsum à plebejis separat, & nobilis haberi ac salutari vult: sed quatenus, doctrinâ & virtute ab illis distinguitur, seque à plebejorum vitâ & moribus secernit: unde Moralis Nobilitas.

Politica est, quatenus scilicet ab aliis è plebejorum numero segregatur. Ergò Moraliter Nobilis esse potest, qui tamen Politicè nobilis non est; etsi haut contra: nisi excipias Nativam eorum, qui Moralis Nobilitatis, adhuc incapaces sunt.

XXXV.

Etenim Politicè nobilis est, non qui causas meritorias Nobilitatis in sese habet; quemadmodum Doctor formaliter non est, qui exquisitissimâ doctrinâ præditus est; qualis esse potest, qui nec ambit gradum, imò cujus doctrina latet, aut vix ulli hominum nota est. Sed sequentia adhuc requiruntur; nimirum Qualitatum quæ nobilitari merentur Notitia; deinde earum Æstimatio; porrò Approbatio; denique Confirmatio, quæ fit publicâ Testificatione, ab eo qui Jus nobilitandi habet.

Ad hujus thesæos illustrationem sequentes quæstiones considerandæ veniunt:

1. *An hic requiratur paucorum tantum, an verò plurium Notitia?*

Ignota & latens virtus aut doctrina, ut nemini utilis, ita ceu thesaurus absconditus & ignobilis est. A notitia igitur originem trahit nobilitas; pluribus autem notum esse oportet, qui

qui à plebejorum censu eximi vult. Hinc Virgilius libr. 3.
Æneid.

— *Et fama multis memoratur in oris.*

Et Besold. Polit. lib. 5. cap. 11. §. 6. num. 38. Nobiles, ait, sunt,
quorum vel nomen vel familia, clarior, omnibusque notior,
magisque noscibilis dicitur.

2. *Utrum attendenda Æstimatio vulgi, an verò
prudentum?*

Is præsumitur nobilis, quem communis hominum Æsti-
matio talem reputat: imò in antiquis, hominum memoriam
excedentibus, fama planè probat & sufficienter, ut vix inve-
niri possit alia probatio: hinc vulgò, nobilitas per famam, id
est, communem æstimationem probatur. Quia verò vulgi
æstimatio mendax esse potest, ideoque sæpè fallit, prudentum
potiùs iudicio standum arbitramur.

3. *An approbatio requiratur omnium, an verò
potioris partis?*

Ad nobilitatem acquirendam sufficit Approbatio eorum,
qui in autoritate sunt, scilicet ejus, qui jus nobilitandi habet,
& eorum quos ille in consilium adhibet. Jam verò acquisita
ab omnibus illis, qui potestati illius parent, approbari debet;
& si fortè non omnes approbarent, sufficit potior pars.

XXXVI.

Quod Confirmationem attinet, extra controver-
siam est, illam esse penes illum, qui jus nobilitandi
habet, & quibus ille facultatem hanc concedit; ean-
demque proin, plenè & perfectè efficere Nobilem:
hujus namque voluntati nemo refragari, nemo quic-
quam derogare potest aut debet.

Fit autem hæc Testificatio publicâ; sed vel

Tacitâ, quæ fit sine solemnitatibus externis; quod fit mul-
tis modis: ut si quem is, qui jus nobilitandi habet, lateri
suo adhærere sinit; aut in Cancellarium vel Consiliarum,

F

assumit: aut exercitui præficit: aut monetæ præfecturam perpetuam tribuit: aut alia officia nobilia committit: vel aliis similibus modis, quibus non nisi nobiles honorantur.

Expressâ, quæ fit solenniter & cum aliqua externa testificatione. Huc referuntur: Publicæ solennitates, quibus Imperatores, Reges, Principes, &c. inaugurantur: publica Renunciatio, cum externis quibusdam ceremoniis, vel sine illis, pro more & consuetudine loci: Diplomata: & quæ præterea in usu sunt hodie: sicut antiquitus per decretos Triumphos, Coronas, statuas & similia, de quibus Theatr. Zuïng. Volum. 3. libr. 9. cujus tit. de Gloria & Honore.

Circa hæc plurimæ quæstiones moventur.

1. *An sola Principis gratia nobilitet?*

Indignum Principe videtur, si quis eum dignitate indignum judicet, quem ipse testimonio suo dignatur. Quibus enim præstanda fides, si non Principibus? qui honorandi, si non ii, quos Principes ipsi, honore dignos testantur? Sacrilegii instar est, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator. Sed & hoc verum est: indignum esse Principe, indigno honoré conferre: quos enim magis decet, quod æquum, quod justum est, facere, quàm Principes? Quid autem iniquius? quid Reipubl. perniciosius, quàm, vel pecuniâ dignitates vendere; vel sceleratis virtutis præmia conferre. Si Princeps ex rustico doctorem, ex stulto sapientem facere potest, tum etiam solâ gratiâ indignum nobilitare. Illud, bonus Princeps se non posse; hoc nolle, potiùs verbis & factis testatum faciet.

2. *An sufficiat Tacita nobilitatis testificatio?*

Sufficit: Voluntatis enim testificatio, per se Nobilitatem confert: externæ solennitates sunt accidentariæ; atque hinc patet, quid respondendum, si quærat

3. *An*

3. *An solenniter confirmata nobilitas, sit
preferenda tacita?*

Nempè potiùs hanc Tacitam confirmationem, sæpè esse præferendam, tum scilicet, quando cum titulo res ipsa seu dignitas realis confertur: cum sæpè solennis testificatio titulum sine re conferat. Quis non præferat Principem, cui cum titulo, res, id est, territorium cum jurisdictione, conceditur, illi, qui nudum titulum habet. Cæteris tamen paribus, quò liberaliùs Princeps voluntatem suam declarat, sive tacitè, sive solenniter id fiat, tantò principi acceptior & nobilior videtur. Inde si quæritur

4. *Utrum qui majore pompâ nobilitatur, nobilior sit
censendus, quàm is qui minore pompâ
aut nullâ honoratur?*

Respondemus: siquidem Princeps majore pompâ, majora merita, & ob ea majorem suum affectum testari velit; præsertim cum nec locus, nec tempus prohibeat, nobilorem esse judicamus sic nobilitatum; quàm non ita decoratum: aliàs fieri potest, ut per injuriam temporis aut loci, aliis minore pompâ sit inauguratus, qui tamen in majore Principis gratiâ sit. Populus Roman. quem, ut digniorem, majore honore afficere voluerat, ei quoque plures Coronas, statuas, majorem quoque triumphum decreverat & exhibuerat. Exempla innumera sunt: inter quæ L. Sicinii ferè palmam obtinet, qui centies manum conseruit, octies ex provocatione victor, quadraginta cicatricibus, adverso tantùm corpore nobilis: spolia cepit viginti quatuor, donatus puris hastis octodecim, phaleris viginti quinque, torquibus octoginta tribus, armillis centum quadraginta, coronis civicis quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obsidionali unâ. Excipe illos, qui magno animo, hæc & similia recusarunt, quos ob id non minores æstimamus.

5. *An Princeps extra territorium suum nobilitatem
conferre possit? Aff.*

Quia est actus voluntarius.

6. *An qui domi nobilitatur, etiam foris pro nobili habendus?*

Qui habet jure communi, ubique nobilis est: at qui habet indultu Principis, non item; nisi id fiat mutuo populorum consensu & tolerantia.

7. *An prescriptione temporis nobilitas confirmetur? Aff.*

Quia legis & publici instrumenti rationem habet: item malam fidem, Principisque ignorantiam excludit: Terminus autem prescriptionis ex more & consuetudine loci ponitur: immemorialis, eandem cum fama probationem habet.

8. *An nobilitetur, qui à Principe nobilis vocatur? N.*

Quia sola denominatio, rei naturam non immutat; neque denominatione sola probatur filius sic nominatus: & qui per Ironiam nobilis nominatur, ignobilis potius dicitur.

9. *Quomodo puniendus, qui sibi nobilitatem falso arrgat?*

Qui solum titulum assumit, punitur, ut qui crimen falsi committit; sed qui sub titulo privilegia & immunitates quaerit, majori poena afficiendus est.

XXXVII.

Supersunt hoc loco duo expedienda: Alterum de *Gradibus* honorum Academicorum: alterum de *Officiis* nobilibus.

De his sequentes disceptantur quaestiones:

1. *Utrum illi quibus gradus Doctotatus conferuntur, nobilitentur?*

Et firerum pulcherrimarum cognitio per se nobilitatem mereatur, tum quod nulla virtus sine illa magni aestimetur, tum quod omnem virtutem tantò conspectiorem reddat: Attamen honores

0
honores Academicos; non inutiles esse judicamus. Nec ob-
stat, quòd illis nemo doctior fiat, neque quòd interdum indi-
gnis conferantur. Etenim quòd hoc posterius attinet, certum
quidem id ipsum contemptum honorum Academicorum pa-
rere, præsertim apud literarum osiores: sed abusus non tollit
usum, neque propter indignos, dignitates abolendæ: secus
omnes dignitates, imò Magistratus & Ministerii dignitas à
Deo ipso instituta, tollerentur. Licet quoque gradus colla-
tio, illum, cui confertur, per se nec doctiorem, nec meliorem
reddat: habet tamen multiplicem utilitatem, si respicias per-
sonam gradu ornatam, sive alios, sive deniq; Rempublicam &
Ecclesiam. Vulgò rectè dicitur, Honores mutant mores; apud
malos quidem in deterius; apud bonos verò in melius, qui, ut
Spartam quam nacti sunt, exornent, & se dignos tantis ho-
noribus præstent, omni studio & labore enitentur. Dein,
cùm Cic. pro Arch. teste, *trahamur omnes laudis studio, & optimus
quisque gloriâ ducatur*, sapientissimè & Academiæ, & in illis
honorum gradus ceu præmia virtutis & doctrinæ instituta
sunt, ut his bona & excellentia ingenia tantò magis excitaren-
tur & inflammarentur. Deniq; Rebuspub. & Ecclesiis consu-
litur, utriusque enim, seminarium quoddam sunt Scholæ &
Academiæ, & ex iis tanquam ex equo Trojano ad Rempubl.
gerendam & Ecclesiam administrandam apti & idonei pro-
ducuntur, atque publico honorum testimonio, quasi digito
monstrantur. Et ut ad quæstionem respondeamus; his gra-
dibus solenniter nobilitantur; quòd præter multas alias ratio-
nes ex his constat. 1. quòd Doctores, non tantùm à plebejis,
sed etiam, à reliquis, qui plebejis non annumerantur, literatis,
secernantur. 2. quòd non tantùm ab Imperatoribus, Regi-
bus & Principibus pro nobilibus habeantur, iisdem cum no-
bilibus privilegiis & immunitatibus fruantur; sed etiam mul-
tis nobilibus in officiis & negotiis publicis præferantur.
3. In primis quòd ab ipsis Imperatoribus, quibus summum
jus nobilitandi competit, Academiæ, & honores graduum,
maximè summorum, constitutos & privilegiis ornatos esse,
publicis instrumentis, & indubiis testibus, nempe Academia-
rum Cancellariis, viris summis probari possit. 4. quòd præ-



ter supra commemoratos fines, etiam ad hoc Academiae institutae, ut scholae publicae essent: in quibus etiam noquium, imò Principum liberi, in Reipubl. salutari doctrina informentur. Unum addimus: Si Doctores nobiles, magis Professores, qui jus gradus conferendi habent, de quibus id notabile refertur, quòd in Urbe Constantinopolitana qui viginti annos; in Gymnasio Patavino qui sedecim publicè, docuissent, Comitiam dignitatem consequebantur. Ergo porro quaeritur:

2. *Utrum Doctoris titulus Nobili indecorus sit?*

Resp. Titulus certè sine re, id est, sine doctrinâ, vanitatis eum argueret: sed cum re, potius nobilitatem auget. Dicas. Si rem habet, quid opus habet titulo? At nos. Si rem, cur pudeat ipsum tituli? Instas. Nobilitatis titulus sufficit, & cum Doctoris titulo comparandus, imò præferendus. Dicimus; Virtutem habet, & tamen titulo virtutis gaudet, ecur non doctrinae titulo? utrumque titulum si haberet, magis ipsum præferremus Doctori. Concludimus, Doctoris titulum Nobili simplici non esse indecorum, sine doctrina esse vanum, cum doctrina non esse ambitiosè affectandum, multò minùs iis, qui superiorem gradum Nobilitatis obtinent.

3. *Quae officiorum dignitates dicantur Nobiles, & num nobilitent?*

Ad hanc quaestionem, que alias prolixam mereretur disquisitionem, generatim respondemus. Officia nobilia esse, 1. quorum administratio versatur circa res summas, Reipub. 2. & proin non communes sed singulares virtutes requirunt. 3. porrò vel sanguine, vel doctrinâ & virtute nobilibus, non autem plebejus, committuntur. Ergò qui in hæc officia immittuntur, nisi jam nobiles sint, nobilitari videntur.

XXXVIII.

Ex causarum, maximè formæ, consideratione, variae oriuntur Nobilitatis *distinctiones*, seu potius *gradus*; hos

0
dus; hos gradus ab infimo ad summum usque assurgendo, hoc schemate ob oculos porrimus.

Nobilium alii sunt

Titulares tantum, qui præter titulum nihil habent; & talium magnus est numerus.

Reales, qui jure quodam hoc titulo gaudent; & quia jus hoc, suos quoque habet gradus; distinguimus Nobiles in tres Classes.

Primâ Classe continentur ii, qui minimo, respectu aliorum, jure nobiles sunt,

Infimi, qui præscriptione tantum nobiles sunt.

Medii, qui non nisi sanguine nobiles sunt.

Supremi, qui sanguine quidem ignobiles, attamen propriâ suâ virtute ac eruditione, ad dignitates & officia nobilia legitime vocati & promoti sunt.

Secundâ Classe comprehenduntur, qui majore jure nobilitatis titulo potiuntur: quos sic ascendendo distinguimus:

Qui genere & virtute præclari.

Qui genere, Virtute, & doctrinâ excellunt.

Qui ultra præclaris rebus gestis celebres.

Huc referuntur Equites, qui in Regnis quibusdam certis Ordinibus distinguuntur.

Deniq; ob prædicta dona, summis in Democratico & Aristocratico statu honoribus potiuntur: hæ enim Clarissimi & Illustres appellantur.

Tertia Classis est eorum, qui dicuntur regalem habere dignitatem, ascendendo à Barone, usque ad summum Imperatorem.

De his titulis & dignitatibus hoc tantum adjicimus: principio militares fuisse & personales tantum; post verò successu temporis factas reales, & quamplurimis in locis hæreditarias.

XXXIX. Su-



Superest inter causas *Finis* Nobilitatis, qui consideratur vel respectu

1. Conferentium, qui est, primò, ut inter membra politicae, sit ordo & distinctio; dein, ut virtuti debitum conferatur præmiũ; deniq; ut alii ad virtutes invitentur & excitentur.

Sine ordine, Respubl. non est, sed tristis confusio. Ordo autem esse debet talis, ut sint alii qui IMPERANT, alii verò qui PARENT. Sed etiam inter Imperantes ordo est; alii namque SUPREMI, qui omnibus præfunt, nemini subsunt; alii verò, QUI SUPREMIS PARENT, sed inferioribus præfunt, & hi gradibus ac officiis distinguntur. Denique sunt, qui tantum superioribus obtemperant. Et hoc Ordinatam reddit Respubl. sed nondum benè constitutam, nec felicem, nisi accedat alterum: scilicet, ut hoc discrimen fiat tantum respectu virtutis: id est, ut ad dignitates & honores extollantur & promoveantur, non nisi digni, ita quidem, ut citra respectum personarum, virtute majores & excellentiores, sint gradatim superiores. Sic citra invidiam concordia stabilietur: sic omnia officia ritè constituentur & administrabuntur: sic virtus & doctrina, Reipubl. præcipua ornamenta, fovebuntur & alentur: sicque generosa mens, sponte licet ad Respubl. juvandam, gloriæ cupiditate multò vehementius, ad publicæ salutis studium, aded inflammabitur, ut nullum vitæ periculum eos avertere queat. Unde patet, quantum Reipubl. intersit, dignitate & nobilitate benè meritos condecorare. Rectè igitur duæ Reipubl. columnæ dicuntur, PRÆMIUM & POENA, si rectè distribuantur. Tolle virtutis premia, & corruet Respubl.

2. Adspirantium ad nobilitatem, finis non sit, nisi Honestas; sine quâ virtus & nobilitas, nihil nisi vanitas. Hæc enim Nobilitas sc. non propter se, sed propter honestatem experi debet.

3. Possi-

3. Possidentium; quorum finis esse debet, ut majorem & suum splendorem conservent, continuent, & quoad fieri potest adaugeant: inde nascuntur quæstiones:

1. *Quid de ignavo nobili sentiendum?*

Ignavum dicimus, qui huic fini non studet. Paucis eum judicamus tantò ignobiliorem, dedecus, opprobrium majorum & eorum excrementum: indignum cujus causa charta illiniatur.

2. *Majoris momenti est questio: An, qui nullo exemplo domestico incitatus ad nobilitatem pervenit, sit illi præferendus, qui majorum gloriam conservat?*

Multa sunt, quæ in favorem prioris adducuntur, quæ referamus publicæ disceptationi. Nos pro posteriore concludimus: *Non enim minor est virtus, quàm querere, parta tueri.* Deinde cæteris paribus, accedit ad hujus proprium splendorem, etiam majorum splendor: *ast duplex splendor, simplici major est.*

XL.

Post causarum enodationem, *Effecta* consideranda sese offerunt. Inter ea, *Primum est, Nobilitatis Propagatio.*

Hic plurima in quæstionem veniunt, de quibus, quantâ fieri potest brevitate, agemus.

1. *An Nobilitas adscendat ad superiores, id est, ad parentes? N.*

Respond. per negationem, cujus rationes sunt, 1. Quia neque lex, neque consuetudo, neque denique Principis voluntas, hac intentione Nobilitatem conferunt, ut adscendat: 2. quia fieri potest, ut ex majoribus nemo superstes amplius sit, 3. quia superstites, aut sunt in se jam digni nobilitate, aut indigni: si digni, tum propriâ dignitate nobilitarentur, ac expressâ Principis voluntate; & sic non adscenderet. Si in-

digni, tùm omninò adscendere non potest, quia neq; de parente, minùs de superioribus præsumptio illa esse potest, ob quam filiis parentum nobilitas decernitur. 2. Quia ut parentibus liberi non colligunt, & hæreditas nò adscendit, sed contrà; ita quoque se res habet in honoribus. 3. ut Feuda non adscendunt, ita nec hæc dignitas. Quæ omnia ordinariè intelligenda; extrordinariè enim, per accidens & ex speciali pacto accidere potest. 4. Quod nobilitas nativa non probetur à posteris, sed à majoribus: valet enim argumentum: pater est, aut fuit nobilis, ergò & ego sum: non autem contra, filius est, aut fuit nobilis, ergò & ego. 5. Nobilitas est extraduce, ergo non adscendit. Hoc tamen non abnuimus, parentes filiorum nobilitate cohonestari.

2. *Utrum ad omnes ex nobili patre legitimè natos, nobilitas propagetur?*

A' patre propagari nobilitatem, controversiâ caret; sed an etiam à matre insequentibus quæstionibus deciditur. Quod autem præsentem attinet, affirmamus eam. Liberi enim quoad honores, patris conditionem sequuntur; & quidem omnes; nisi culpâ suâ liberi eos perdant. Omnium rationum loco est Voluntas Nobilitantis; Lex & consuetudo omnium penè locorum: nisi quod in Turcia non descendat ultra pronepotes: qui infrà sunt, propriâ virtute nobilitatem majorum renovare tenentur.

3. *An derivetur etiam ad eos liberos, qui ante partum nobilitatem nati sunt?*

Negant non pauci: Sed affirmant etiam multi, quorum rationes videntur nobis validiores. 1. Quia expressâ lege, consuetudine, aut Voluntate Nobilitantis non excluduntur. 2. Quia ut cætera bona, ita dignitates omnibus liberis acquiruntur. 3. Quia non minor est præsumptio de nato ante partum nativitatem, quàm de post nato. 4. Uxor ignobilis ducta antè, etiam spuria, nobilitatur; ergò & filius antè natus. 5. Pri-

5. Primogenitus natus ante adeptum à patre Regnum, præfertur nato ex patre jam rege; quod probat Kekerm. Pol. lib. I. cap. 4. ex Aurea bulla Caroli IV. & praxi in Imperio.

4. *An ad Adoptatos descendat nobilitas adoptantis? Aff.*

Rationes asserentium inter reliquas istæ sunt. 1. Quia adoptio imitatur naturam. 2. Quia adoptati jura cognationis nanciscuntur. 3. Transeunt in familiam; unde dicuntur legitimi ad discrimen naturalium. 4. Adoptione acquiritur major dignitas. 5. Tam diu hæc sententia prævalebit, donec probabitur, vel talem non ex asse adoptatum, vel Voluntatem Nobilitantis ei contradicere.

5. *An ad Arrogatos? Aff.*

Minus dubium est de his; quia Arrogatio fit per sacrum Oraculum, h. e. Principis auctoritatem expressam.

Quid de spuris & legitimis statuendum sit, ex præcedentibus constare arbitramur.

6. *Circa descendentes, adhuc hanc questionem adjicimus: An qui ex Patre & Matre nobilis est, sit nobilior eo, qui ex Patre tantum nobilis est?*

Quæritur de eo, cujus mater antequam Patri nuberet, ignobilis fuit; & affirmativam veram esse ex eo manifestum; quia ad quasdam dignitates, ut Collegia Ecclesiastica, item ad ludos equestres non admittebantur; nisi ex utroque parente, quatuor minimum majorum gradibus, nobiles nati essent. Etsi Imperator vi supremæ potestatis novo homini tantam nobilitatem tribuere possit, ut ad ludos equestres, vel Collegia Canonica admittatur: quemadmodum id ex certis instrumentis aut diplomatibus constat.

7. *An nobilitas Viri transeat ad Uxorem?*

Hæc communis est Politicorum sententia, quæ extenditur non tantum ad Sponsam, sed etiam ad Spuriam; aded ut nec Vir nobilitatem Uxori auferre possit, cum seipsum non possit,

propter individua conjunctionem, per quam in unam carnem coalescunt. Matth. cap. 19. v. 5. & alibi.

8. *An etiam ad Viduas ?*

Utique; donec enim Vidua manet, dicitur viva imago Viri mortui, & in eodem matrimonio perseverare: donec scilicet alii nubat; ac si plebejo, nobilitatem amittit.

9. *Sed an nobilitas ex viro tanta, quanta à parente ? N.*

Quia 1. ut quæstione proxim. præced. sextâ vidimus, propter matrem licet viri nobilitate coruscantem, minor tamen filii est nobilitas, quàm si utroque parente nobilis natus esset. 2. Quia de ea, quæ sanguine nobilis est, major est præsumptio, quàm de nata ex ignobili sanguine.

10. *An ignobilis vir uxoris nobilitate nobilitetur ?*

Negativam tuemur hac ratione, quia uxor transit in familiam Viri, non contrà: aliquem tamen ab ea splendorem accipiunt & pater & liberi. Exceptio: Si uxor foret Regina, aut in alia magna dignitate constituta.

11. *An ad fratres, sorores, aut alios hæredes transversales ?*

Non placet D.D. nec enim ex traduce illi habere possunt; neque virtutem fratris hæreditate consequi: ergò nec nobilitatem. Attamen & hîc exceptioni locus est: 1. nisi ex consuetudine aut statuto in illos transeat nobilitas. 2. Nisi à fratre simul dignitatem cum hæreditate accipiant. ex. gr. Principatum, Ducatum, &c. ita namque hæredes quoque dignitatis forent.

XLI.

Ad effecta Nobilitatis etiam referri potest, *Recta ac Splendida Reipublicæ* maximè, tum etiam *privatæ admittuntur*



0
*ta administratio; opera tūm pacis, tūm belli tempore,
laude & nobilitate suā digna.*

Ad hæc enim nobilitas ipsis confertur; ad hæc dignitate suā
impelli & excitari ipsos decet; ut sic nomen clarum confer-
vent, & illustrius reddant. Quæritur,

*An nobilibus externi Principis Vasallis Reipubl. admi-
stratio committi debeat?*

Nullus Princeps suā scientiā omnia complectitur, & magna
negotia magnis adjutoribus egent; fidos igitur rerū hominum-
que peritos Consiliarios, habeat necesse est, quorum oculis vi-
deat, & quorum auribus audiat, ut quā minimū erret. Ab his
autem requiritur, ut sint pii, liberi, constantes, modesti, impri-
mis verò ut sint taciturni. *Taciturnitas enim optimū atq; tutissimum
rerum administrandarum vinculum.* Val. Max. lib. 2. cap. 12. Apud
Perfas, teste Ammiano, lib. 21. cap. 26. *Nemo consiliorū est conscius,
præter optimates taciturnos & fidos, apud quos Silentii colitur numen.*
Non minū in Aristocratico & Democratico statu à Senatori-
bus fides & sacrum silentium, (quæ duo ab se invicem sepa-
rari nequeunt) postulatur. Consilia enim de pace, de bello,
deque toto Reipubl. statu, nisi sint arcana, certè vana sunt: re-
fecta, Reipubl. nocentissima. Quis autem præsumatur ma-
gis fidus ideoque taciturnus, quā Nobilis? à quo minū ti-
menda arcanorum proditio, quā à Nobili viro? qui igitur ad
consilia adhibēdi magis, quā Nobiles? Nemo certè dubitat,
nisi de Vasallis externi Principis. Nam & huic, & Principi suo,
vel Reipub. suæ, fidem præstare tenentur: sed quomodo utriq;?
Dicas. Hostes non sunt. quid verò, an non aliquando futuri?
Quid si insidias invicem struant? Quid si consilia rogentur,
aut callidè explorentur? Quomodo sic duobus Dominis bonā
fide servire queant? Esto autem, fidi sint Principi externo ac
Reipublic. suæ. Unde verò scias? Suspecti tamen sunt, aut
tibi, aut aliis: aut tua, aut illorum in consulendo libertas sisti-
tur? Tutius igitur Reipubl. ut ab his in consiliis abstineant,
& ipsismet Vasallis, ne adhibeantur. Ideoque prudenter fa-
ctum, à quibusdam liberis Rebuspubl. quòd Nobiles, externi
Principis Vasallos, Senatu moverint. Sed probè curandum

his Rebus publ. ut de iis id dici possit, quod de Romanis, quo-
rum, (olim) curia in tanto numero Senatorum, silentio sic undique
clausa, ut non dicam unum, sed neminem audisse crederes, quod tam
multorum auribus fuerit commissum. Valer. Max. lib. 2. c. 2.

XLII.

Subiectum Nobilitatis est locus habitationis, hinc
disputatur,

*Utrum in Urbe an in Agro fixam sedem habere
debeant Nobiles?*

Liberum relinquimus, modò, ut nobiles decet, vivant.

XLIII.

Adjuncta nobilitatis quàm plurima sunt; inter ea
præcipuè considerantur *Insignia & Privilegia*, quæ
quasi propria Nobilium adjuncta sunt.

Insignia sunt, signa quædam emblematica & hieroglyphi-
ca, quibus Nobiles familiæ, non tantum à familiis plebejo-
rum, sed etiam inter se distinguuntur, & ceu nominibus di-
gnoscuntur. Alia igitur *Imperatorum, Regum, Principum, &c.*
alia *Nobilium, alia Plebejorum*; quæ non licet confundere: de his
videatur Tiraquell. lib. de Nobil. cap. 6.

XLIV.

Privilegia Nobilitatis sunt vel
Communia cum

Inferioribus, id est, cum plebe: Nobilis enim bene-
ficia popularium non amittit; neque si ex statuto fa-
ctus popularis, nobilium Privilegia; sicut hoc casu
populares, beneficia nobilium non acquirunt.

Paribus, id est, cum Nobilibus quorumcunq; locorum.
Singularia, pro diversitate locorum & nationum, alia enim
in Germania, alia in Hispania, Gallia, Anglia, Polonia, &c.
juxta

juxta leges & consuetudines nobilibus sunt concessa privilegia.

Hæc in universum multiplicia sunt. Singularia suis locis & nationibus relinquimus. Quod autem ea attinet, quæ nobiles ubique ferè communia habent, ea ad sequentia genera referri possunt.

1. Primò præsumptio majoris virtutis, fidei, aptitudinis & dignitatis; unde in promissis, testimoniis dicendis, major fides ipsis adhibetur, & in legationibus, officiis item civilibus & bellicis, cæteris præferuntur.
2. Reverentia major, in salutationibus, sessionibus, &c.
3. Immunitates majores, ab oneribus & muneribus vilioribus.
4. Habitus splendidior; victus lautior; annulorum & armorum gestatio.
5. Denique pœna minor, si ipsi adversum alios peccent, ni splendor nobilitatis delictum adaugeat: contra pœna major adversum eos, qui nobiles lædunt.

Singula quæ sub his generibus continentur, videantur apud Tiraq. lib. de Nobil. cap. 20. toto. Circa privilegia tamen seq. quæstiones examinandæ:

1. *An nuda præsumptio Nobilem præferat? Aff.*

Donec probetur contrarium.

2. *An nobilis simpliciter plebejo in officiis quibusvis antefendus? Aff.*

Nisi nobilis sit ineptus, plebejus verò aptus.

3. *An genere Nobilis sit præferendus Novo homini? Aff.*

Sed cæteris paribus, quia dignior, propter duplicem splendorem. Novus autem tum præferendus, si sit multis modis aptior: idque propter publicum bonum.

4. *Sed*

4. *Sed an genere Nobilis sit præferendus
Doctori? Aff.*

Si nempe pari aut sufficienti doctrinâ præditus sit, licet gradu careat, quia Doctor & novus homo comparari possunt; nisi longâ serie majores Doctores habeat, quo casu cum Nobili literato in æquilibrio constitutus haberi potest. At nobilis sufficienti doctrinâ aut aliis donis, ad certum officium decenter administrandum, insufficienter instructus, cedere debet Doctori, aut alii docto viro apto & idoneo. Insufficiens enim doctrina, aut ineptitudo quævis non compensatur nobilitate, ut aliâs inepti fautores talium nobilium, existimant.

5. *An verò in officiis bellicis Nobilis sanguine præferendus Doctori? Aff.*

Nisi Doctor Arte & Marte multum præstet.

6. *Verum an in Universum Nobilior & Doctior, minus nobilibus & doctis?*

Resp. Potest esse Nobilior aut Doctior, sed ad certa quædam peragenda ineptior, aut negligentior: & sic minus doctis, aut minus nobilibus non sunt præferendi.

7. *An verò Doctor præferendus ei, qui gradum non habet? Aff.*

Nempè si doctrinâ pares sint, aut non tantum discrimen: quòd si magna & manifesta sit disparitas, gradu non ornatum præferendum judicamus: si quidem ubi necesse sit, gradum consequi possit.

8. *An ignobilis nobilem possit provocare ad duellum? N.*

Propter reverentiam.

9. *An nobilis simpliciter immunis sit à muneribus plebejorum?*

Resp. A civilibus, plebejorum propriis, extra casum necessitatis liber est. Non autem ab iis, ad quæ lege naturali & divinâ

divina omnes obligantur. Hinc lactare infantem, nobilem matrem non modò non dedecet, sed potiùs obligat.

10. *An nobiles immunes sint ab onere Col-
lectarum? N.*

Nisi 1. habeant omnimodam jurisdictionem, ideoq; im-
poni non possint. 2. nisi adversetur Consuetudo. 3. nisi
pro bonis fervilibus.

11. *An nobiles mitiùs puniendi?*

Hic forum distinguere oportet, ut nobilium licentiæ occur-
ratur. In foro Poli plus peccant, propter exemplù; igitur gra-
viùs punientur. In foro soli, majori pœnâ in pecuniariis, mi-
nori in corporalibus affiendi. Prius, quia ut pauper pluri-
s æstimat porcellum quàm oculum; ita nobilis locuples majo-
ris æstimat, minimam infamiam, quàm magnam pecuniam.
Ne igitur Novatius aliquis, petulantiam nimiam exerceat,
majori pecuniæ mulcta coërceri debet. Posterius verò, quia
etiam minima pœna corporalis major est, quàm pœna pecu-
niaria vel maxima; imprimis quia magis nobilis affligitur
ex parvâ pœnâ corporali, quàm ex magnâ ignobilis. Habet
tamen hoc posterius suas exceptiones. 1. Nisi statuta aliter
disponant. 2. nisi accedat nimia contumacia. 3. nisi in pœ-
nis relativis, ubi eadem pœna punietur nobilis, qua puniri de-
buisset plebejus, si delictum probatum fuisset. 4. denique,
nisi nobilitas augeat delictum: quod in genere fit multis mo-
dis ratione circumstantiarum: in specie verò quoad no-
bilem, cum delictum cedit in dedecus & contumeliam ipsius
nobilitatis, propter quod jure nobilitatem amittit, unde
Juvenal.

*Omne animi vitium, tantò conspectius in se
Crimen habet, quantò qui peccat major habetur.*

12. *An qui nobilem injuriâ afficit graviùs puniendus
sit, quàm qui plebejum? Aff.*

Auget personæ læsæ dignitas peccatum.

H



Supereſt locus Diſſentaneorum, in quo non pauca occurrunt, conſideratu digna;

1. *Diverſa* ſunt, quibus poſitis Nobilitas quidem non ponitur; attamen nec tollitur: ideoque nobilitati non obſtant,

a. Paupertas. Neque enim divitiæ nobilem, neque paupertas ignobilem facit. Quin potius *melior eſt puer pauper & ſapiens, Rege ſene & ſtolido.* Eccleſ. cap. 4. verſ. 13. & Horatius Epift. 1.

---- *Sapiens uno minor eſt Jove, dives*

Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

β. Agricultura. Rectè namque Cicer. lib. 1. officiior. *Omniū,* ait, *rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agriculturæ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.* Attamen ſi Nobilis abſque neceſſitate alienos agros ære conductus coleret, Nobilitati præjudicaret; hoc enim jure inter ſordida refertur.

γ. Judicis officium: hoc enim rectè adminiſtratum, etiam nobiles efficere poteſt.

δ. Advocatorum munus. Nam hoc per ſe honeſtum eſſe, uno hoc probatur, quod Nobiliſſimus omnium creaturarum Advocatus noſter ſit. Excludimus tamen à nobilitate eos, qui hoc munere ſordidè abutuntur, & emunctores miſerorum, canes Curiarum, forenſe latrocinium, turbatores & peſtes Rerumpub. non immeritò appellantur.

ε. Procuratoris munus. At, 1. in Curia, quam non licet ingredi infames. 2. Procuratores illuſtrium perſonarum. 3. Multò magis Principum. Ex reliquorum numero, Nobilis ſi ſit, nobilitatem amittit.

ς. Notariatus. Excipimus tamen illos, qui ſine dignitate aliorum Notariorum juſſa exequi tenentur; aut qui mala fide agunt: quæ ſi nobiles præſtarent, jure nobilitate indigni cenſerentur.

XLVI.

2. *Opposita sunt*

a. *Relativa*, sic Nobilis & Ignobilis, quatenus scilicet ignobilis sumitur pro plebejo. Hinc rectè concluditur: Nobilis est, ergò non Plebejus, & contrà. Sed an si pater est nobilis, ergò & filius? est, sed non semper contrà. Si maritus est nobilis, ergò & uxor: nec sic reciprocatur.

Sed queritur 1. An si Dominus sit nobilis, etiam servus sit talis?

Resp. Distinguendo

Inter Dominos; si scilicet sint illustres.

Inter Servos: nisi ad res viles adhibeantur.

2. *An filius nobilis, Patri ignobili, subjectus esse debeat?*

Resp. Utique: Major enim est Paternitas hoc casu nobilitate.

3. *At verò si filius in Reipublica dignitate constitutus sit?*

Resp. Tum Pater filio subjectus, publica iussa filii facere tenetur; sed extra functionem officii, idem Pater filio imperare potest. Egregium exemplum refertur ab historicis, de Fabio Max. qui jubente filio Q. Fabio Consule, etsi Pater & Proconsul esset, equo descendit.

XLVII.

β. *Contraria*: Sic Nobilis & Ignobilis opponuntur; quatenus ille ob virtutes clarus vel generosus; hic verò ob vitia infamis: huc ergò pertinent ea, quæ Nobilitati per infamiam adversantur, eam aut imminuendo, aut omninò tollendo. Observanda ta-

men hæc generalis cautio : Non eadem omnibus gentibus esse honesta & turpia ; hinc consuetudo facit nobiles & ignobiles.

1. Adversantur Nobilitati gravia & notoria scelera ; qualia sunt ; Crimen læsæ Majestatis, Proditio, Perjurium, crimen falsi, furtum ; raptus virginis, aut honestæ matronæ ; invasio ; hæresis, & similia, quæ vel capite, vel publicâ infamia puniri debent.

2. Viliùm artium ac sordidarum rerum tractatio : Vilia autem & sordida , ut in genere tantùm de iis agamus ; (cùm prolixum nimis ac cùm invidiâ conjunctum foret ea in specie recensere) hæc sunt ; scilicet Ratione

Causæ efficientis, quæ à personis solùm vilibus & infamibus tractantur, ut quæ tantùm servis, mancipiis, Judæis & his similibus peragenda imponuntur.

Mediorum, quæ per illegitima, prohibita & turpia media fiunt : & sic quæ aliàs per se honesta sunt, per accidens fiunt sordida.

Materia, quæ tantùm circa sordida ac fœtida versantur, quibus corpus hominis inquinatur : ut sunt multæ artes mechanicæ.

Forma, quæ modo quoque illegitimo ac sordido fiunt.

Finis, cùm nulla honestatis habetur ratio ; sed vel per ambitionem vanus honor ; vel per avaritiam turpe lucrum : vel per impuritatem bestialis voluptas, quæritur ; & hoc modo etiam honesta & licita sordescunt.

Hæc vel omnia vel pleraque reddunt sordidas res & homines, ideoque à nobilitate, si exercentur, excludunt. Ab his igitur omnibus, seridò sibi nobilis cavebit. Hinc si quærat,

An nobilitas per mercaturam amittatur ?

Resp. Sordida, infamis est. Si absit sordities, honesta quidem est ; at verò si ordinaria & perpetua, licet magna & copiosa, & per alios exercita, nobilibus inconveni-
niens

niens judicatur: nisi fortè loci consuetudo aliud fe-
rat, ut in Hispaniâ, Italiâ & Anglia. Licet tamen no-
bilibus sua, quæ ex prædiis & redditibus propriis ha-
bent, aliis venalia exponere.

XLVIII.

*γ. Privantia sequuntur: talia sunt itidem Nobilis
& Ignobilis, quatenus hic caret Nobilitatis formâ.*

Et Privatio seu Carentia Nobilitatis est vel

- I. *Antecedens*, carentia scilicet in eo, qui ad eam conse-
quendam aptus est, vel
- a. Generali aptitudine, quæ cadit in omnem hominem,
qui à natura non est prorsus ineptus: ut sunt qui naturâ vili,
& abjecto animo sunt, aut rationis usu destituti: hoc modo
ignobiles sunt omnes plebeji, cæteroquin honesti: & disce-
ptatur hîc

*An non præstet carere nobilitate & esse divi-
tem, quàm esse nobilem & carere
divitiis?*

Si de Nobilitate generis tantum quæstio sit, non admo-
dum dubia est: cum talis nobilitas sine virtute, (loquimur de
adultis) non modò inutilis, sed maximè absq; opinione con-
temptibilis, vilior algâ: contra plebejus honestus & dives,
tùm utilis, tum honoratus est. At aliud statuendum de Nobi-
litate, quæ cum sapientia & prudentia conjuncta est; quan-
tum enim hæc præstant divitiis, tantum etiam melior est no-
bilis pauper, quàm plebejus dives. Excipe tamen eos casus &
tempora, ubi sapientia & prudentia sine divitiis parum pro-
dest; imò etiam prudentes, divitum fores pulsare necesse est:
huc pertinet quod habetur Esa. cap. 3. v. 5, 6, 7.

- β. Speciali aptitudine ejus, qui morali nobilitate jam
est præditus, id est, iis qualitatibus, quæ nobilitatem Poli-
ticam merentur.

2. *Consequens* privatio est ejus, qui nobilitatem habuit; & hæc est vel

Totalis, & quantum ad eum qui habuit, & quantum ad posteros: ut cum statuto vel consuetudine, omnis venia & restitutio in integrum præciditur: sic privatur, qui crimen læsæ Majestatis commisit, aut patriam hosti prodidit, aut aliud grande scelus, non nisi morte expiandum, perpetravit.

Vel respectu tantum delinquentis personæ, non autem respectu posterorum.

Quæritur 1. Si pater, per exercitium vilium aut sordidarum artium, nobilitatem amiserit totaliter, an posteris præjudicet, seu an hi eam amiserint?

Communiter statuunt D. D. Novum hominem sibi & suis amittere nobilitatem, nisi Principis voluntas eam posteris reservet. Quod autem patrem attinet, qui nobilitatem à majoribus accepit, eum posteris nobilitatem non perdere, his rationibus probant. 1. Quod per Patris infamiam Principis voluntas non tollatur, nisi expressè hoc casu posito. 2. Quia quod à genere habet familia, à patre solo auferri nequit, siquidem à Patre solo non habeat. 3. Quia ut pater non potest renunciare Nobilitati, in præjudicium filiorum, ita neque suâ ignominia potest illis præjudicare. 4. Quia ab avo potest transmitti in nepotem, quod in avo, etiam nepoti & reliquis est promissum. 5. Si castrum aut Ducatum pater justâ causa amiserit, aut eo expulsus sit, filii tamen non amittunt dignitates.

2. *An à totali Nobilitatis privatione, detur regressus?*

Dari regressum, his conditionibus positis patet. 1. Si Princi-

Principis beneficio restituitur, est enim hoc in ejus voluntate positum. 2. Si desistat ab iis, per quæ infamis factus est.

Non totalis privatio, est Nobilitatis quædã imminutio, quæ fit per vitam inordinatam: per nimiam cum plebejis familiaritatem: per inopiam propriã culpã attractam, & in genere per ea vitia, quæ multis nobilibus familiaria, ut est superbia, jactantia, morositas & inhumanitas erga inferiores, avaritiã, intemperantia, &c. quibus seipfos bonis invisos, plerisque contemptibiles reddunt.

L.

S. Contradictoria deniq; Nobilis & Ignobilis, quatenus omne id, quod non Nobile, dicitur Ignobile.

Queritur. An quis nobilitati renunciare possit?

Siquidem justas causas producere possit: neque cedat in præjudicionem aliorum, potest: secus nec decet, nec potest.

SOLI DEO GLORIA.

Errores sic emendandi.

Thef. IX. quæst. 4. pro *sint lege sit.* Thef. XI. lin. 5. pro *præcepta lege percepta.* Thef. XVII. lin. 9. pro *seosim lege seorsim.* Thef. XXVIII. quæst. 2. linea 9. lege *nequaquam.* Thef. XXXVI. quæst. 9. pro *arrgat lege arrogat.* Thef. XXXVII. quæst. 1. pro *Doctortatus lege Doctortatus.* Thef. ead. lin. 7. ante quæst. 2. lege *nobilium.* Thef. ead. quæst. 3. lin. 6. pro *plebejus lege plebejis.* Thef. XXXIX. §. 2. *Adspirantium. lege nobilitatem.* Thef. XL. lin. 3. ante quæst. 2. lege *extraduce.*

Jb. viii. pro inicitis lege in dicitis. Jb. xx. quæst. 2. pro ibiq; lege ibi.
Jb. xxxiv. pro laut lege laud. Jb. xxxviii. quæst. 3. pro que lege que.
Jb. xcv. pro nobis lege nobilis. Jb. xxviii. quæst. pro opinioae lege opibus. Jb. ult. pro præjudicionem lege præjudicium.



Principis beneficio testatur, est enim hoc in eius voluntate
postum. a. Si delectat hunc per quos infans factus est.
Non totus privatus, est Nobilitas quod in
nere per ea vita, que multis nobilibus familiaris ut de in-
perbia, jactantia, invidiositas & inhumanitas erga inferiores,
avaritia, intemperantia, &c. quibus scilicet bonis multos pla-
tisque contemptibiles reddunt.



Errores sic emendandi.
The IX. quæst. pro fidei. A. The XI. in præsentia lectura
cap. The VII. in. pro fidei. The XXVII. quæst.
lectura. The XX. VI. quæst. pro fidei. The XXVII. quæst.
The XXVII. quæst. pro fidei. The XXVII. quæst. pro fidei.
The XXVII. quæst. pro fidei. The XXVII. quæst. pro fidei.



ULB Halle
006 570 429


3



V017







B.I.G.

Farbkarte #13

Pri. 38. num. 6

1646, 1

6

erque Max.
ac Patre luminum,
te,

SAPIENTISSIMA
is Academie Basileensis,

TATE

putaturus
ECZYCKI,

OLONUS;
IDIONI
Clarissimi,

SGRYNÆI,
ad D. Leonh.

ntisfimi;
Almâ Medicorum Aulâ

nsis Aprilis,
am,
imatores humanis-
at.



DEKERI Acad. Typogr.
C XLVI.

12.

